K. 12. 36

Davidis Abercrombii, M.D.

Opuscula Medica
hactenus edita.

I. De Luis Venereæ absq; Salivatione Mercuriali, curatione.

II. De modo curandi Bubonis Venerei & tutiore Salivationis methodo. *(Nunc primum editum.)*

III. De varietate, ac variatione Pulsus.

IV. De dignoscendis Medicis Plantarum, ac corporum quorumcumque virtutibus ex solo Sapore.

Æsculapiades officium esse Medici dicit, & ut tutò, ut celeriter, & ut jucundè curet. Cor. Cels lib. 3. c 4. fol. 27.

Londini Impensis *Samuelis Smith* ad Insigne *Principis* in Coemiterio Divi Pauli. M.DC.LXXXVII.



3083.86

Venerabili admodùm Domino

D. *Doctori Whistlero,*

Celeberrimi Medicorum Londinensium Collegii Præsidi dignissimo,

Censoribus Meritissimis, cæterisque Collegis.

Viri excellentissimi,
ac sapientissimi,

Suos jactet Pharmacopolas Germania, Chyrurgos Gallia suos, at communis omnium populorum vox Anglicanis palmam Medicis, hoc est, *vobis*, jure sanè meritis-

 simo

simo concesserit. Quæ enim alibi terrarum *Æsculapii* Societas tot celebres ubique Gentium *Socios* numeret? ingentia siquidem hæc nomina *Linacrum*, *Bartolotum*, *Buttum*, *Owenum*, *Hugium*, *Caium*, *Caldwallium*, *Jamsium*, *Goulstonium*, *Harveum*, *Hameyum*, *Glissonium*, *Whartonum*, *Willisium*, *Micklethwatium*, cæterosque quos in *Collegio suo regio* doctissimus Doctor *Goodall* meritis extollit Encomiis, nullus eruditior Orbis angulus non novit. Sed ut hos præteream quos aliò jam transmissos intermoritura nunquam fama immortalitati consecravit: quanta etiamnum *Societatis* vestræ ornamenta

namenta ſunt? Doctiſſimus Præſes veſter *Whiſtlerus*, ingenioſiſſimus *Entius*, acutiſſimus *Scarburghius*, eruditiſſimus *Charltonius*, curioſiſſimus *Crownius*, peritiſſimus *Lowerus*, lynceus *Nedhamus*, ac *Sydenhamus* ubique celeberrimus, qui & de hoc ipſo, in quo verſamur, argumento obſervatu, lectuque digniſſima non pauca ſcripſit: quanta, inquam, *Societatis* veſtræ lumina ſunt non hi omnes modò, qui doctiſſimis, ingenioſiſſimiſque lucubrationibus ſuis celebre ſibi nomen per urbem hanc orbemque conciliarunt, ſed & alii hoc tempore è cœtu veſtro quàm plurimi fæliciſſimæ pra-

xeos famâ ubique notiſſimi ?

Quibus igitur potius quàm *vobis*, *viri ſapientiſſimi*, hanc meam qualemcumque demum lucubrationem, non offerrem modò, ſed & ſubmitterem ? quorum potius ſub auſpiciis, quàm ſub veſtris laboris hic, experientiæque meæ *partus* prodiret in lucem ? cum vos ſupremos tum rerum medicarum, tum ipſorum etiam medicorum ſub ſapientiſſimo *Rege* noſtro arbitros Anglia jampridem agnoſcat : eſt quidem, fateor, cur oculatos adeo, lynceoſque Judices reformidem ; ſed cum nihil hoc in opuſculo à me fuerit prolatum, quod

juncta

juncta rationi experientia non confirmet, ac confirmatura sit in posterum haud dubiè, modo *præfationis* monita diligentius observata fuerint, propitios omnino vos mihi, ac patronos, fautoresque etiam hujusce mei fœtûs, non severos, tetricosque censores, pro humanitate vestrâ fore confido. Hac spe fretus, ne tædio pluribus sim, vestroque diutius abutar otio, calamum subducam;

Vestri interim observantissimus

David Abercromby.

Dabam Londini,
Aprilis 7. 1684.

AUTHORIS

AUTHORIS PRÆFATIO AD LECTOREM.

Benevole Lector,

DUO *ſunt hominum genera, æquo, ni fallor, intervallo, à recto rationis tramite aberrantium: alii enim vetera omnia non aliam ob cauſam, quàm quòd vetera ſint, flocci faciunt, rejiciunt, ac damnant, alii verò tanto in novitatem feruntur odio, ut quicquid novitatis præ ſe ſpeciem aliquam præfert, id omne, vel eo ipſo nomine, ex quodam invidentis animi vitio pervi pendere videantur: in medio itaque ſapientiores multò alii conſiſtunt, dum ut æqui rerum æſtimatores res non ætate, ſed ex ipſa rerum cum ratione conformitate pendunt. Quæ eam præcipuè ob cauſam præſtari viſum eſt, quod hoc in opuſculo*

opuſculo nova propoſuerim non pauca: quibus illud tantum apprecor fatum, ut in Lectorem duo inter, de quibus mox, conſiſtentem extrema incidant: quamvis ipſe quidem, utpote tenuitatis meæ ſat mihi conſcius, non ea iis inniti rationum momentis putem quæ demonſtrationis vim obtineant, ſed ejuſmodi tamen quibus nihil gratis à me dictum eſſe, aut confictum, aperte demonſtretur: ejuſcemodi fere ſunt quæ de Luis Venereæ natura, quæ de Hydrargyro putatitio ejuſdem Alexipharmaco, &c. paucis diſſerui.

Quod autem ad propoſita hoc in tractatulo remedia ſpectat, mutatis pro adjunctorum varietate mutandis, cuivis eadem ex noſtræ methodi præſcripto adhibenti certum polliceri ſucceſſum auſim. Utpote quorum efficacia multiplici mihi experientia explorata, atque perſpecta penitus ſit: volim tamen iis utatur quiſquam niſi conſulto prius de modo,

do, methodoque, de tempore, de dosi, perito medico : præcipuum enim artis Apollineæ *arcanum non in ipsa medicamenti bonitate, sed in quadam potius facultate discernendi quid cuiq; maximè conveniat, positum est: unde non immerito celeberrimum doctissimorum Londinensium Medicorum ac regale Collegium, exitiosum illud humanæ reipublicæ hominum Genus quos* Empiricos *vocant, certis legibus, & pœnis insequitur, ac oppugnat : hi enim licèt in præstantia interdum remedia fortè impingant, iis tamen multorum in perniciem abutuntur sæpissimè, dum eadem utpote veræ morborum originis plerumque ignari, nulla habitâ, vel temporum, vel temperamentorum, vel reliquorum adjunctorum ratione, cuivis indiscriminatim pecunias offerenti administrant; quod cum dico, nihil aliud indico, quàm periculosæ plenum opus esse aleæ, aut Empiricorum, aut medicorum etiam*

vulgata

vulgata ſcriptis remedia uſurpare, niſi vocatis prius in concilium iis, qui artem medicam, veraſque morborum cauſas norunt. Huic igitur tu in remediorum quæ hoc tibi exhibet opuſculum uſu monitioni morem gere: ut enim inſtrumenta propritiâ, imperitiâque utentium utilia ſunt, vel inutilia, proſunt, vel obſunt: eâdem quippe lanceolâ quâ dexterior Chyrurgus venam aperit eandem imperitior aliquando recîdit: ita planè de remediis quantumvis celebratis pronunciandum non ſolus opinor: optatus ſcilicet ea commendaturus eſt exitus, quoties in verum, cautum, prudentemq; medicum inciderint, qui quo ordine, doſi, tempore, methodoque præſcribi eadem oporteat, apprimè intelligat: contra verò merus Empiricus, *qui criticum momentum, aptumve exhibendo medicamento tempus non animadvertit, nec ullam temperamentorum rationem habet, nec de ide-*

ne.i

nea unicuique mensura reliquisque ob inscitiam adjunctis cogitat, remedia etiam præstantissima in mortifera sæpe venena convertit: neque aliter nisi casu unquam contingit. Quàm gravis igitur, perniciosusque deludit eos error, qui ignaros, imperitosq; Empiricos *neglectis medicis valetudinis spe adeunt: meminerint ii quod paulò superius insinuabam, non ipsius medicamenti quantumvis celebrati, bonitati, conservandæ, aut recuperandæ spem sanitatis inniti, sed debitæ ejusdem habitâ omnium quovis modo adjunctorum ratione applicationi, aut administrationi, quam sagaces solùm, verique medici norunt: at de his satis superque.*

Prius tamen, Amice Lector, quàm tibi valedicam, tuam me deprecari iram oportebit, quod à doctis multis indoctisq; omnibus laudatam hactenus præscriptamq; etiam Salivationem *proscribere videar: id enim non*

eo

eo factum est à me consilio, vel ut famam mihi singularitatis studio aucuparer, vel ut privatis meis commodis turpi quasi mercede inservirem, sed eam solummodo ob causam, quod cum de tradendæ inferius methodi efficacia multiplici mihi experimento constaret, tantum humano generi bonum invidere diutius nollem: Salivatio *enim, præterquam quod homines in summum vitæ discrimen adducit, sævissima insuper, ut omnes norunt, secum trahit symptomata quibus mitiorem fere mortem ipsam multi putant: si igitur tuta, secura, ac efficax* Luis Venereæ, *vitatâ* Salivatione, *curandæ methodus præscribi possit, non erit is de republicâ humanâ malè meritus qui eam docuerit: nostram autem esse ejusmodi non aliena, sed tua te doceat experientia; vale itaq; atq; ubi opus fuerit utere.*

Tibi addictissimus
D. A.
Præ-

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

NEquid hoc in tractatulo inexpectatum, quempiam minùs forte attentum feriat, unum te, hîc loci, præmonendum censeo, appellationem scilicet *frigidi* sæpius à me usurpatam non de eo quod *actu*, sed quod *potentiâ frigidum est*, esse accipiendam: quid autem *potentiâ frigidum sit*, si certiùs, clariúsque scire volueris, consulas velim celeberrimum *Boylium* ibi, ubi de *Mechanica frigoris origine*, acutè, ingenioséque suo more agit.

Tractatu de natura qualitatum nondum Latinè edito.

CAP. I.

CAP. I.

Genuina *Luis Venereæ* natura.

Opiniones duæ de naturâ Luis Venereæ *proponuntur*: *Authoris opinio*, 1. *Ex variis* Luis *ſymptomatis probatur.* 2. *Ex inſolito quodam, quo* Lues Venerea *interdum contrahitur modo.* 3. *Ex communiori infecti cujuſvis ſtatu.* 4. *Ex ipſis quibus* Lues Venerea *profligatur ſæpe remediis.*

NUllum fere morbi Genus lue venerea notius, ſi nomen ſpectes, communioraque ſymptomata, nullum fere ignotius, ſi rem propiùs ipſam

inſpexeris: multi quidem, & multis de ejus naturâ, ſignis, ac proprietatibus multa non inutilia ſcripſerunt, ſed meo quidem judicio, nondum ea quibus tuta, ſecuraque omnis eventûs praxis inniti poſſit: quorum quidem doctrinam licèt non probem, prolixitatis tamen vitandæ gratiâ nec refellere hìc, nec referre lubet. Duas tantum hac ſuper re quorumdam opiniones perpaucis, & quaſi digito indicaſſe ſat ſuperque impræſentiarum fuerit: ſunt enim, ut audio, qui *Lucm Veneream*, ut *Athanaſius Kircherus* olim Romæ pronunciaſſe fertur de peſte, nihil aliud eſſe velint, quàm innumeram quamdam vermiculorum inconſpicuorum multitudinem, quos tamen ipſi microſcopii ope in parte affectâ conſpectos diſcernant: quod quidem veritatine, necne conforme ſit, ſit penes authores fides, qui in ſpectaculi hujuſce teſtes, oculos ſuos citant, vereor tamen nequando adhibita ejuſmodi

modi in usus instrumenta, non tam rem ipsam, ut verè in natura est, oculis objiciant, quàm quoddam phantasiæ ludibrium intellectui facile sibi è conspectis multa alia fingenti imponant : utut sit, hujus enim rei veritatem altiùs perscrutari non lubet, ex hâc *hypothesi* nulla fere ad praxim promovendam, cujus potissimum ratio habenda est, utilis oritur conclusio, nisi fortè inde quis concludere voluerit Hydrargyrum, seu Mercurium, quod nescio qua adversus vermes virtute pollere dicatur, genuinum esse *Luis Venereæ*, prædictorum vermiculorum excidio, alexipharmacum : quod longè absum ut credam, nec ratio allata, alicujus licèt in speciem roboris, ullatenus id mihi persuadet : quamvis enim *Mercurii* vim non exiguam in puerorum vermes admiserimus, non idcirco eum in putatitios illos, de quibus supra, vermiculos valiturum illico pronunciabimus,

cum aliam hi indolem ab alia partium constitutione, textuque sortiri possint & sortiantur haud dubiè. Sunt & alii, quos inter principem facilè locum obtinet doctissimus *Palmerius*, qui occultam qualitatem quamdam qua totius corporis *crasia* pervertatur, esse contendant, quæ quidem opinio nihil fortè veritati non consentaneum continet, rei tamen de quâ disserimus, naturam *in occulto* relinquit.

Nostrum itaque de verâ gravissimi hujus morbi causâ priusquam mentem aperiam, unum imprimis, *amice Lector*, præmonitum te velim, ut scilicet tractatulum hunc, quem idcirco perbrevem ac portatilem esse volui, percurrere, vel volante ut aiunt, oculo perstringere prius integrum, ne graveris, quàm quidquam de contentâ in eo doctrinâ pronuncies: si enim consensum singula tuum non extorqueant, omnia fortè ni pertinacior sis, extorquebunt, aut quo-

quorundam sciolorum de grege qui ingenii sui acumen quævis quantumvis solidis confirmata argumentis temerè, stolideque improbando, luculenter probare se putant: sed ne pluribus te morer, ad rem propius ipsam accedam, contraque opinionem multorum, aut errorem potius, genuinam *Luis Venereæ* naturam asserо *frigidum quemdam humidumque vaporem à partibus præcipue generationi destinatis, vel propulsum in corpus, vel attractum.* Quod antequam iis argumentis quæ non levem fortè veri speciem præ se ferant, stabiliam, nequa de voce lis oriatur, duo omnino eris præmonendus; ac primò quidem *vaporis* nomine comprehendere me tenuem quamdam materiam, seu exilia quædam corpuscula impuro plerumque concubitu vel ejecta, vel attracta; *frigidi* autem appellationem eò quo illustris, ac superstitum hujus sæculi philosophorum facilè Princeps * *Boylius*

* *Trac. de mechan. frig. origine*

ſenſu accipit, & hîc quoque ſubintelligi: cujus ſcilicet corpuſcula ſemel reſoluta ita ſe exilibus liquoris cujuſcumque partibus aſſociant, ut ſolitum earum motum imminuant, cujus imminutionis perceptio frigus in organo ſenſus eſt: ſed ne tempus pluribus teramus, *Luem Veneream* nihil prorſus aliud eſſe quàm frigidum hunc vaporem, ex ipſo quo invadit primum, ſerpitque modo, indiciis haud obſcuris oſtendo: impurus plerumque concubitus apertis obſcænarum partium meatibus impuræ huic auræ aditum aperit, in quibus tres quatuorve interdum dies, aut etiam non raro menſes nullo ſui impreſſo veſtigio delitescit, donec tandem incongruis, acutiſque corpuſculorum ſuorum acuminibus, legitimam ac nativam vaſorum ſpermaticorum, teſtium, ac paraſtatarum conſtitutionem penitus immutet, ac pervertat. Quid autem biduana hæc, aut triduana, vel pluriem etiam menſium vaporis

in

in parte quam primum affecerit, aut in corpore quod introierit, quieta commoratio, aliud nobis quàm frigidam ejus naturam indicat? Calida enim, ut neminem vel mediocriter philosophum latet, nunquam quiescunt. Quidquod parastatas spiritus hic, quia humidus quoque, laxiores humidioresque, ut ex ipsa seminis frigidi perenni pene extillatione constat, indubitato frigefactionis & humiditatis indicio efficit: ipseque urinæ ardor interdum, stranguriaque, non nisi ab occlusis ab hoc hospite inimicoque domestico januis, quibus transpiratio fiat, oriri verosimiliter solet: cujus rei non leve indicium est, quod frigidæ hujusce auræ vel altioremi in corpus ascensum, vel ejusdem è corpore recessum ardoris stranguriæque remissio consequatur illico, viis iterum quibus expiratio libera fiat, patefactis: quamvis ardor ille putatitius fortè tantùm sit, acrimonia ipsâ urinæ caloris sensum quempiam ure-

thræ imprimente: hæc autem naſcitur, vel ab acutis particulis hujuſce vaporis, lotio in tranſitu commixtis, vel ab urinæ textura hujus afflatu auræ perverſa: utroque enim modo ſic acui lotium ut tenellam urethram corrodat, nihil vetat. Adhæc, unde porro potiùs quàm à Glaciali hoc veneris flatu, altius in corpus intromiſſo ſchirroſi mediis in artubus tophi, diffuſo toto corpore tumores, nodi? A qua inquam, aliâ cauſſâ ſtupor ille membrorum, ſegnities corporis, animi mœror triſtitia, torpor? conſopitos ſcilicet tenet is ſpiritus, ac incongruâ ſuâ figurâ hamatisque forte ac anguillaribus partibus irretit implicátque.

Cujus ſanè rei luculentum quoque teſtimonium eſt ipſa *lue* infectorum interdiu ſomnolentia, noctu inſomnia, vel irrequietus admodum, interruptusque ſomnus: eum enim æger per diem ortâ, ab eodem frigore venereo, laſſitudine, ad otium, quietumque

tumque corporis situm propendeat; consopitur quodammodo *frigidus Veneris spiritus*, evigilaturus sub noctem experiaciente ipso corporis tum magis incalescentis calore qui eam exagitat, apertisque jam magis poris aditum referat, nunc ad hanc, nunc ad illam corporis partem, unde fere nocturni illi *Lue Venereâ* infectorum, vagique dolores.

Aliud praeterea hujus assertionis firmamentum ducam ab alio quem pauci norunt, vel animadvertunt quo *Lues Venerea* contrahitur modo, immoderatum enim *Veneris usum* veneream invehere in corpus pestem quis credat? id tamen experientiâ tam certum est, quàm quod certissimum: sed cum aliis in rebus honoris caussa, ut aiunt homines, nominemus, hîc ut honori consulamus, nomen conticescimus: quod autem magistra rerum experientia ob oculos ponit id ipsa confirmat ratio, ac persuadet. Dissipatis enim immodicâ *Venere* caloris

loris nativi particulis ſuccedere frigus quoddam texturæ ad inducenda ſymptomata venerea idoneæ neceſſe eſt, quo exhauſtum jam corpus diſfluat, eo majore periculo quo languidiores, magiſque effœti ſpirituum diſperſione ægri vires fuerint.

Huc accedit quòd ex *Lue Venereâ* infectis vix ullum reperias qui febrili corripiatur æſtu, ſcilicet ob ſanguinem hujuſce frigoris particularum commixtione refrigeratum.

Quidquod *frigidus Veneris ſpiritus* ipſis quibus non raro profligatur remediis omnino innoteſcit: ejuſmodi autem ſunt Guajacum, Salſaparilla, China, Buxus, Saponaria, Carduus benedictus, Angelica, aliaque id genus ſexcenta, calidæ omnia, ſiccæque naturæ: contraria enim contrariis quocumque modo res explicetur curari remediis ſanioris nemo judicii inficias ierit.

Sed ut hactenus dicta clariùs adhuc eluceſcant, quo demum pacto frigida

frigida hæc *Veneris* aura pulcherrimam *Microcosmi* fabricam demoliatur, paucis aperiam.

CAP. II.

Quo lues venerea invadat, serpatque, modo explicat.

Authoris opinio ex eo quo Lues Venerea *invadit, serpitque, modo confirmatur: res interdum certæ, licet earum modus sit incertus: luctuosi* Luis Venereæ *in corpus humanum effectus.*

PRiusquam operi accingar, unum hic amice lector, cui manus ut spero dabis, tibi in memoriam revocabo: memineris itaque res nos pleraſque oculis usurpare, manibus tractare, naribus, reliquisque corporis sensibus

percipere, rerum autem ipsarum modos vix intelligere, aut, ut verius dicam, prorsus ignorare: rosam, exempli gratia, intueor, pertracto, subdoror: ex quibus autem constet partibus, quo corpusculorum textu, mole figura, situ, balbutire possum, eloqui nequeo: si enim *Peripateticos* hac super re consulo, hi me ad *specificam quamdam formam*, seu *materiam peculiari quadam formâ informatam*, *elementorum commixtionem*, & *nescio quam primarum qualitatum dosim*, cæteraque ejusmodi humanæ ignorantiæ asyla protinus remittent; si novam philosophiam, seu antiquam potius suis e cineribus redivivam, consilii caussâ adeam, hæc multò plus quidem lucis afferet; certam itaque mox *texturam*, certam *molem*, modum, situmque corpusculorum rosam constituentium, ac ordinem inter se oggeret, in quibus tamen omnibus nihil certi aliud offendas quàm certissimum incerti animi ac fluctuantis indicium: quod cum dico nihil aliud indicatum volo,

quàm

quàm de reipsâ constare sæpe multiplici ex effectu posse, licèt ipse rei quoad omnia modus demonstrari requeat: quia tamen aliqua rerum difficilium quantumvis mutila, requiritur explicatio, & necessaria est, quo demum modo frigidus *Luis Venereæ*, de qua agimus, vapor in omnes pene microcosmi partes tam miserandum in modum sæviat, pro modulo nostro ad ulterius prædictorum firmamentum paucis exponam.

Frigidas calidissimæ licèt Veneris *particulas* vel propellit vir, vel ejaculatur in fœminam, vel ex eadem attrahit, ac quodammodo exsugit, hæ plerumque concretæ adhuc, vel in pene virili, vel in pudendo muliebri nullo presentiæ suæ impresso vestigio quiescunt, donec earum partium, vel calore, vel madore potius, seu menstruo quodam resolutæ fœdâ Gonorrhœâ, pustulisque ibidem, tuberculisque interdum ac ulcusculis contumacissimis sese prodant: partes autem venerei spiritus crassiores

craſſiores tubercula gignunt, acriores ac minutiores puſtulas, humidiores vero mucoſa ulcera producunt. corrupti autem, frigidique ſeminis effluvium ab immutata vaſorum ſpermaticorum, ac paraſtatarum jam laxiorum, humiditate *ſpiritus venerei*, conſtitutione exoritur, qui & intercluſa frigore ſuo nonnihil tranſpiratione ardorem fortè, ut dixi ſuperiùs, urinæ conciliat, ipſamque etiam acrimoniam corpuſculis eam componentibus in acumen jam, quo pungatur urethra, & corrodatur, texturæ priſtinæ perverſione deſinentibus. Hinc altiùs, ni foras maturè trudatur, inſinuans ſeſe vapor, venæ cavæ ſanguini, cujus motum hamatis particulis ſuis retardat, ſeſe commiſcet; mox inguinis in Glandulas impingens, majore aut minore dolore, pro majore ſuarum particularum reſolutione aut, partium inguinis teneritudine bubonem gignit: Glanduloſas autem has inguinis partes refugiens

fugiens hic *Veneris* ſpiritus evaneſcente interdum ſiniſtro omine, bubone deſerit, atque unà cum ſanguine per omnes corporis partes circumgyrans fædam ubique infert ſtragem: ſanguinis primum motum ut diximus, irretitis ejuſdem corpuſculis tardiorem efficit, atque hunc fere in modum nativo omnium partium calore imminuto in pleriſque fævitiæ ſuæ veſtigia imprimit, faucium ut teneriorum textum facile pervertit, in quibus junctos raucedini tumores exulceratione ſæpe fœdos procreat: hinc altiùs propulſæ *frigoris veneræ* particulæ mucoſa quædam ulcera in naſo, corrupta ejuſdem textura, excitant; unde horrenda, ingens, illa humani oris quam homines intuentur quotidie, nec cavent, deformitas, ſæpenumero contingit: quin & caput ipſum *microcoſmi arcem* ſpiculis ſuis hamatis aggreſſæ, pilorum radices evellunt, tophoſque preterea ſchirrhoſos partium ſuarum complicatione

circa

circa pericranium commovent, ſed nec illic ſolum, at mediis etiam in artubus, qui non exiguo doloris ſenſu torqueant: quidquod *frigus venereum* craſſioribus ſuis particulis ſub membranas refugiens eaſdem acerbiſſimo, per noctem præcipuè, doloris ſenſu diſtendit, ſeu contrahit verius, tenuioribus vero in ipſam oſſium ſubſtantiam inſinuans ſeſe eadem primum quaſi tumefacit, tum dividit, ac tandem carie conſumit.

Hoc fere modo divinam planè *Mierecoſmi* fabricam frigidus *veneris* ſpiritus conſpurcat primum, tum excidit, denique funditus diruit. Ut autem & hoc hîc loci ſuperaddam, hoc ſpiritu interdum & nutrix, & ſugens ubera coinquinatæ nutricis puſio contaminantur, dum hic aliquœs auræ hujuſce particulas aut attrahit, aut illa emittit: idem autem vapor ſolo frigidarum corporis partium contactu quia non reſolvitur, non inficit: huic enim duriuſculum epiderma reſiſtit,

sistit, calore tamen, sudore, apertisque poris expanditur, eaque in quæ calentia impegerit corpora, malè afflat: quare *à Lue Venereâ* liber cum infecto non dormiat. Sed ut de putatitio gravissimi hujus mali alexiterio paucis agam, proposita mihi brevitas nunc postulat.

C CAP.

CAP. III.

Genuina Hydrargyri natura.

Descriptio Mercurii ab Untzero tradita examinatur, ac, quatenus minus vero conformis, refellitur: quam ob causſam Mercurius nec ſulphureus nec viſcoſus, nec calidus, licèt ſummè mobilis, penetretque, ac corrodat: mercurialium effluviorum vis proprio authoris experimento demonſtratur.

ACcuratam *Untzerus* Mercurii definitionem * tradidiſſe ſe putat hunc in modum: *Argentum vivum*, ſeu Mercurius, *nihil aliud eſt quàm liquor mineralis, ex metallica, viſcida, ſulphureaque terrâ exactè contemperatus,*

* *Anatom. ſpag. mer. l. 1.*

ratus, mixtuſque & ſpirituoſus, & igne volatilis, prætereaque frigidus quoad tactum externum, calidus autem & ſiccus quoad internum ejus ignem, itémque ponderoſus admodum, colorem habens argenteum, metalliſque omnibus familiariſſimus, quibus adhæret intimè, eaque reſolvit, & ad illorum naturam ſeſe accommodat. Quæ quidem deſcriptio vera continet non pauca, at quædam etiam à veritate maximè aliena: ac primo quidem quis ex ſulphureâ Mercurium terra contemperatum, mixtumque credat? Cum nulla ignis vi, ſulphureorum more, flammam concipiat? Licèt enim propellente igne in fumum abeat, fumus tamen is idoneo in vaſculo collectus in Mercurium iterum oculo conſpicuum, deperdito nullo ponderis ſui momento, redit: at viſcoſa forte ipſius ſubſtantia ignis actionem prohibet: ſed præterquam quod hæc Mercurii viſcoſitas ſummæ ejuſdem mobilitati repugnat, pu-

rum mihi putumque videtur figmentum, ut illius de quovis igne triumphi ratio demum aliqua redderetur: porro peccat præcipuè hæc definitio ibi, ubi calidum & ſiccum Mercurium vult; nihil enim ab ejus naturâ calore magis alienum eſſe, his fere rationibus inducor ut credam: ac primò quidem, ut ſuperius obſervavi, *Mercurium* nulla ignis violentia domat: quâ igitur vi potius quàm immenſi frigoris ſui igni ſummè calido reſiſtit? At mobilitate incredibili, quæ frigoris partus non eſt, præpollet: ſed facilis omnino hujus objectionis ſolutio videtur, ejus enim mobilitas à figura oritur: cum enim globoſus ſit *Mercurius*, ac quodammodo perfectè ſphæricus, & in *puncto* proinde tantùm tangens, conſiſtere nuſquam valet, minimoque corporis cujuſcumque ſeſe dilatantis motu, utpote qui nullum intra ſe admittat, propulſus fugit: unde ſi vi ignis admoti ſtatim avolat, id non ab interno illius

lius igne, aut igneis ejuſdem particulis exiſtit: ſed ex eo oritur quod corpus adeo compactum ſit, ut nec aerem intra ſe admittat ullum, nec ignis ſpicula intromittat: quorum proinde impetu propelli eum neceſſe eſt: male præterea ex ejuſdem mobilitate innata eidem caliditas inferretur, cum aer mobilis maximè ſit, de cujus tamen nativo calore præſtantiſſimi philoſophi merito dubitant, ac ni fallor illuſtris *Boylius* qui unus inſtar omnium mihi ſit: nihil dicam de ſummo ejus pondere: quod non caloris, ſed frigoris argumentum eſt, frigida enim hæc ſunt & gravia, *terra ipſa, aqua, oſſa, plumbum, ferrum, antimonium, talcum, zincum, marmor, alabaſtrum, gypſum, jaſpis, chryſtallus, amethiſtus, argilla, bolus, ochra*, & ſexcenta id genus alia. Sed de nativis rerum virtutibus certius ex effectibus pronunciamus; ac primò quidem qui fodinas hujus mineralis deſcripſerunt impoſitos hydrar-

gyro montes denſis vere nebulis, nec ſupra montium juga præ gravitate ſeſe attollentibus obtegi aiunt, in quibus maxima aquarum ſummis etiam in æſtibus non deſit copia, ubi vireſcant per æſtatem ſemper, cæteris omnibus circumquaque ambuſtis arbores: quæ ſanè omnia maximum mercurialium effluviorum frigus indicant: cujus etiam indicia ſat aperta ſunt morbi frigidi ab iiſdem ſæpe nati, paralyſis, puta, tremor, convulſio, cæcitas, vertigo. Rem totam authores exemplis, quæ brevitatis ſtudio prætereo, illuſtrant, ac confirmant: quid tamen mihi ipſi obtigerit non invitus commemorabo.

Cum aliquot abhinc annis *Neocaſtri* in Angliâ verſarer, immiſſâ fortuitò in vaſculum argento vivo plenum manu, totis ſubitò artubus quaſi frigido febris paroxyſmo impetitus contremui, maximo interea frigoris ſenſu toto corpore perculſus: nec prius convalui quàm repetito

petito guaiaci in vino decocti hauſtu totis quaſi diffuſum artubus frigus perdomui: nolim hic, amice lector, mihi ſuccenſeas, ſi firmiorem proprio huic experimento habeam fidem quàm tibi, vel cuivis contra aſſerenti: ecce enim frigidæ Mercurii affectioni calidioris temperamenti potu opem tuli, ubi ergo jam interni ejus ignis vis, an ex eo internum corporis frigus oritur? Superiore quoque remedii genere, qui maxime *hydrargyro* utuntur, aut abutuntur potius, commiſſis ſibi ægris ſubvenire ſolent, frigidum, ut reor eum quicquid contra aſſerere videantur, ſuſpicati.

Nihil igitur ſupereſt quod hic ſuperaddam, niſi ex ſummâ penetrandi, corrodendique vi qua Mercurius pollere dicitur, nihil ad probandam ejuſdem caliditatem inferri jure poſſe, niſi acida etiam ſtolidè calida, quia & penetrant, & corodunt, eſſe velis.

At quo demum miraculo fit, frigidus cum ſit Mercurius, ut dum frigore ſuo repellit frigidorum more,

condenſatque, ipſa ſua ſubſtantia incidat attenuetque: hujus quidem rei ratio non aliunde quam ex peculiari partium ipſius exilitate peti debet: frigidorum enim exiles eſſe partes nihil vetat: ut patet in Caphura, cujus, licèt frigidiſſimæ, partes tenuitate maximâ præditæ ſunt: quod ex diffuſo ab ipſis odore conſtat.

Adde quod ut, ſuperius dicebamus, cum nullum intra ſe corpus Mercurius admittat, ab omni moto corpore diviſus, & propulſus, viam ſibi per obvia quæque fugiens aperit: quæ ejus mobilitatis, & tenuitatis pariter ratio aliqua eſſe poterit.

Omnibus itaque ritè perpenſis Mercurium liquorem eſſe mineralem naturâ ſuâ humidum, ac ſummè frigidum, quod præcipue ſpectamus hic tanquam quid vero ſimillimum pronuncio, humidum inquam licèt ſphæricam ob figuram non madefaciat, quod ipſis etiam in aquæ guttulis in ſiccam tabulam collapſis obſervare eſt.

CAP.

CAP. IV.

Hydrargyrum non esse verum *Luis Venereæ* Alexipharmacum è positis superiùs principiis concluditur.

Conclusio è principiis superioribus sponte fluens illustratur: naturæ operatio, Mercurii operationi contraria: curatio Luis Venereæ *solius hydrargyri ope omnino fucata.*

FRigidam *Luis Venereæ* naturam, indiciis, ni fallor, haud obscuris, nec minimâ veri specie superiùs deteximus: hydrargyrum pariter communi fere errore verum ejus alexi-

alexipharmacum hactenus existimatum, frigidum omnino, quicquid contra non pauci immeritò sentiant, iis omnino probavimus argumentis, quæ non levem fortè veritatis speciem præ se ferant: utramque autem propositionem quæ genuinus utriusque partus est, conclusio vel me tacente hæc una sequitur: *Hydrargyrus Luem Veneream*, adeo non *oppugnat. ut proeadem pugnet, junctisque quasi viribus pulcherrimam microcosmi fabricam fœdum prius in modum conspurcatam funditus evertat*: quod cum dico nihil aliud indicatum volo, quàm frigida frigidis roborari, sed nec destrui, nec curari posse. Frigidis autem & *Luem Veneream*, & putatitium ejus hostem *Mercurium* superius annumeravimus: quibus autem potissimum de caussis hîc loci repetere supervacaneum puto: partium quidem humidarum tenuitate Mercurium non inficias ibo incidere posse tubercula, nodos, schirrosque, atque etiam resolvere: sed hæc & reliqua

reliqua exterius conſpicua *Luis Venereæ* ſymptomata a naturâ validiore noxium qui intus eſt humorem foràs propellente oriuntur, quem immenſo ſuo frigore intrò regerit Mercurius: Mercurii ſiquidem radiatio naturæ operationi contraria eſt, cum hujus vis à centro ad circumferentiam, illius verò à circumferentiâ ad centrum virtus diffundatur: neque enim erumpens tantum virus frigiditate ſuâ immenſâ retroagit, ſed natos *frigore Venereo* in externis forte partibus ſchirros, tophos, nodos partium ſuarum tenuitate reſolutos repellit in intimas corporis partes *hydrargyrus*; qui non raro, quod non ſemel animadverti, recrudeſcente poſtea malo, ac regerente vitioſum humorem validiore naturâ, multos etiam poſt annos foras erumpunt.

Unde omnis quæ Hydrargyri ſolius ope, *Luis Venereæ* curatio fit vereor ne fucata omnino ſit, imo auſim dicere fucatam eſſe omnem ejuſcemo-

ejuſcemodi ob celerem quâ pollet *Mercurius* extimam cuticulam detergendi virtutem; relicto interea mali fomite, quem vel reprimit frigore ſuo, vel frigoris ſui acceſſione adauget. Adde quod naturæ, frigidum *Luis Venereæ* virus, innato calore foras pro viribus, quemadmodum inſinuavimus mox, expulſuræ conatus infringat.

Sed quia is eſt hujus in quo vivimus ſæculi genius, qui res non tantùm intellectu capere, ſed & oculis intueri amet, ut facta ab aliis experimenta tacitus præteream exploratum mihi unum certiſſimumque dictis hactenus de ſucata ab hydrargyro curatione colophonis inſtar apponam.

Nobilem quemdam virum etiamnum ſuperſtitem probè novi: cujus corpus pleriſque *Luis Venereæ* ſymptomatis miſerandum in modum fædatum ubique fere fuerat: hic doctiſ-

ſimi

simi cujusdam medici præscripto solito more solemniter tertium inunctus est: primis enim unctionibus morbus non cesserat: in alium itaque mutatus est brevi hominem; omnia enim *Luis* symptomata, tophi, schirri, tubercula, &c. Quasi radicitus evulsa evanuerunt, nocturnos nullos ut prius solebat, vel in capite, vel in scapulis, vel in ossibus, vel in articulis, vel mediis in artubus, ullave alia corporis parte percipiebat dolores. Et suo denique & medicorum pene omnium judicio integram adeptus erat valetudinem: ut neminem melius ab hydrargyro convaluisse unquam plerique affirmarint: eoque in statu triennium fere ipsum perseveravit: sed interiorem tantum in arcem se receperat, non ejectus hostis erat: remigrante enim quæ repressa fuerat, foràs subitò *Lue*, caput, fauces, artus medios, articulos cuticulam, reliquasque corporis partes

tes tam horrendum in modum invaſit ut miſerationem ſimul & horrorem ſpectantibus moveret, accerſitus itaque ut homini opem ferrem cum ex eo quæſiiſſem, num à morbo Mercuriali inunctione in ſpeciem deleto, impuro cujuſpiam *Lue Venerea* infectæ contactu pollutus fortè fuiſſet: conſtanter aſſeveravit, neque enim ulla id mihi diſſimulandi ratio ſubeſſe poterat, cum nullâ ab eo tempore muliere rem ſe habuiſſe, atque ſolitarium etiam per id intervallum nitidiſque, ut ipſi conſtabat in linteis ſemper dormiiſſe: unde non aliunde quàm divinitus immiſſam hanc ſibi de novo peſtem non ſine inſigni pietatis ſenſu arbitrabatur, ſed licèt nihil, fateor, non decernente aut permittente Deo contingat, propiorem tamen recrudeſcentis mali cauſſam ex deſcripto ſuperiùs Mercurii genio ſubodoratus, bono hominem animo eſſe juſſi, quem & integræ valetudini

tudini, quæ etiamnum, ut audio, perſeverat, perſeverabitque, confido, nullo relapſûs periculo, non tantùm abſque omni mercuriali inunctione, ſed etiam abſque omni Mercurio tradendâ inferius methodo reſtitui.

CAP.

CAP. V.

Facilis tuta, ac ſæpius probata *Luis Venereæ*, Abſque omni Mercurio curatio proponitur.

Qualia Luis Venereæ *remedia eſſe debeant*: *ſpeciale adverſus* Luem *decoctum*: Opiata Veneris *proponitur*, & *deſcribitur*.

EX dictis hactenus quæ potiſſimùm diſpellendæ *Lui Venereæ* remedia congruant facilè quivis vel me tacente intellexerit, calidioris enim ea eſſe naturæ oportere ſat inde liquidò conſtat: virium tamen ægri ac temperamenti ratio habenda

habenda eſt, ut temperata quis remedia, idoneaque omnis erroris ſecurus adhibeat: negotium itaque hoc hunc fere in modum aggredi ſoleo: venæ primò ſectionem, maxime ſi plethora adfuerit, præſcribo, victumque mox ſiccantem, tenuem, medium inter ac plenum, toſtaque, & aſſata libentiùs, quàm cocta, vinique uſum aſſuetis maximè ſed dilutum fere permitto: quanquam ex *mero* etiam moderatiùs ſumpto nihil incommodi ſit metuendum: uno ab emiſſo ſanguine elapſo die hoc vel alio non abſimili cathartico fæces craſſiores educo.

℞. Foliorum ſennæ ℥j.
Semin. aniſi ʒj.
Rhabarbari ʒjß.

Infunde ſuper calidos cineres per noctem in vini albi ℔j.

In colaturâ diſſolve

Syrupi roſati ℥ß.
Confectionis Hamech ʒv:

Catharticum hoc alternis diebus bis interdum, terve repeto, cui non

minùs tutò ſubſtitui poterit bolus ex ſimplici confectione Hamech & conveniente quovis ſyrupo confectus. Ubi nullam animadverto in ægro plethoram, propiore mox remedio morbum ſic adorior. Si *Lues* annoſa non ſit, aut inveterata, præmiſſo ſemel, ac repetito etiam, ſi viſum fuerit, ſuperiore cathartico: ita inceptum jam opus proſequi oportebit.

℞. Guaiaci raſp. & corticis ejuſdem ℥ij.

Salſaparillæ ℥ß.
Sennæ orientalis ℥iij.
Hermodactylorum ʒj.
Alabaſtri pulverati ʒjß.
Cornucervi,
Aniſi,
Cinnamomi ana ʒij.

Infundantur hæc omnia per tres dies, ſaltem viginti quatuor horarum ſpatio ſuper calidos cineres in vini albi ℔v. Colaturæ in qua diſſolve ſalis Guaiaci ℥ij, poſt levem ebullitionem adhibe in doſim matutinam tribus ante prandium horis ℥v. Prandebit

æger

æger ſub decimam, ad cœnulam accedet ſub quintam, toſtis maximè & cœnaturus & pranſurus: quintâ poſt horâ, hoc eſt, decimâ veſpertinâ ſuperiorem doſim repetet, cooperiendus interea diligentiùs ut ſudor foras proliciatur: qui ſi copioſus non eruperit, nihil eſt propterea quod de ſucceſſu ſis ſollicitus: ipſa enim dejectione, urinaque copioſiore, & ipiſſa in fundo matulæ optimo ſanè omine negotium totum ex voto peragetur.

Hoc itaque temedium, ſi recens omnino morbus ſit, tridui ſpatio adhibebis, idemque triduo interjecto, majoris ſecuritatis gratia, ſi ita viſum fuerit, repetere poteris, potu interea non alio ut plurimum uſurus ſive ad diluendoscibos ſive, ad extinguendam ſitim quàm ptiſanâ hâc.

Decocta prius medicamenta bulliant in vini albi ℔iv. ad diminutionem ℔ß. adde ſub finem decoctionis, Liquiritiæ,

Uvarum Corinthiacarum ana ℥j colatura uſurpetur in potum.

Jam ſi *Lues Venerea* à ſex, ſeptem, octove fere menſibus contracta fuerit, eandem omnino methodum ſed per menſem non continuè, at alternatim uſurpabis, tribus ſcilicet continuè ſemper diebus; intermiſſi autem remedii intervallo vacare negotiis æger poterit: qui, licèt non ſtatim omnia morbi ſymptomata evaneſcere animadvertat, nihil inde ſibi metuat ſiniſtri: jam enim domito frigido *Luis Venereæ* ſpiritu, paulatim ea, cauſſa ſublata, reſolventur, ac areſcent.

At verò ſi annoſa jam *Lues*, ſive multorum jam annorum fuerit, ipſiſque etiam fortè oſſibus inſederit, hunc fere in modum domeſticum hunc hoſtem ex ea quam occupat arce ejicies.

Purgato ut ſupra, vel ſemel, vel ſæpius ſi ita viſum fuerit, corpore, decocto antivenereo ſuperiori, *opiatam* mox

mox deſcribendam quam *Veneris* voco, ſubjungi oportebit : hæc autem hunc fere in modum conficitur.

℞. Foliorum Centaurii minoris
Hyperici,
Spicæ nardi ana M. 1.
Seminum Aniſi,
Fæniculi,
Petroſelini ana ʒß.
Baccarum Lauri ʒjß.
Radic. Ariſtolochiæ utriuſque,
Gentianæ,
Angelicæ ana ʒß.
Caryophyllorum,
Nucis moſchatæ ana ℈ij.
Cornu cervi,
Raſuræ eboris
Oculorum Cancri pulverat.
Ligni aloes ana ʒiij.
Raſuræ Guaiaci nigri,
Corticis ejuſdem triti ℥ij.
Radic : Chinæ, Salſaparillæ, a-
na ℥iv.
Salis Guaiaci, ʒiij.
Pulveris Alabaſtri ʒi.

In tenuiſſimum hæc omnia pulverem comminuta, commixtaque, viginti quatuor horarum ſpatio in vini albi, cujus vices aqua fontana in calidioribus præſertim temperamentis ſupplere poſſet, ℔viij. macerentur: tum addito melle omnium pulverum pondus quadruplicante vel copioſiore etiam, ſi viſum fuerit, coquantur ad aliquam, puta Electuarii, aut Theriacæ, firmitatem: contineatur autem *opiata* hæc vaſe terreo ſat capaci, ne efferveſcat: hujus porrò uſus ejuſmodi eſt: per tres continuè dies, ubi æger decoctum ſuperius, conformiter methodo illic præſcriptæ adhibuerit, per totidem quieſcat, vel negotiis ſi voluerit vacet, per tres alios drachmam *opiatæ* primo unam, ſecundo duas, tertio die mane Jejunus tres ſumat: quæ doſis medici judicio augeri poterit, additâ cuivis doſi Theriacæ veteris, aut Mithridatii drachma unâ: interim hyemali maximè tempore

tempore domo non exeat, ſed vel in lecto decumbat, vel prope ignem in cubiculo, frigido aeri, impervio quieſcat: ſed tutius eſt ægrum per hyemem maximè lecto contineri bene coopertum, ut vel ſudore, vel dejectione, vel expiratione, vel lotio reſolutus *opiatæ* virtute *frigidus* veneris *vapor* foras extrudatur: * hæc autem remediorum viciſſitudo tamdiu repetenda quamdiu graviora morbi Symptomata apparent: curatio autem integra, modò, ut inquit *Hippocrates Aphoriſ.* 1. *exhibeant ſe quæ oportet facientes & ægri, & præſentes, & externa*, omnibus certò, quibuſdam tamen citiùs, quibuſdam tardiùs pro diverſâ cujuſque diſpoſitione ac temperamento contingit: vix autem duos ultra menſes integra curatio protrahitur: tuta porro eſt, omniſque periculi expers hæc curandi methodus, eaque ipſa quâ hominem, de quo ſupra, perſanavi, &

* *Hæc opiata eo efficacior quo antiquior.*

quâ non paucos à medico quodam cui hujuſce methodi copiam feceram perſanatos ſcio: memineris tantùm diebus vacuis cathartico ſuperiùs poſito aut alio ſimili, vel enemate, aut catholico aliquo, aut confectione Hamech, &c. alvum, ſi pigrior fuerit proritare: hoc pariter interdum ex recentiore quodam cujus experimentum feci, vel ſimili pulvere ſudorem provocare copioſiorem non fuerit inutile.

℞. Antimonii diaphoretici:
Salis Succini ana gr. xvj.
Pulveris Angelicæ ℈ß. fiat pulvis tenuiſſimus poſt aſſumptam decocti ſuperioris, aut *Opiatæ Veneris* doſim in aquâ cardui nonnihil dulcorata ſumendus.

CAP.

CAP. VI.

Alia *Luis Venereæ* curandæ Methodus tuta, facilis, ac ſæpius probata; Abſque mercuriali inunctione, ac ſalivatione, non tamen abſque omni mercurio.

Fucata à ſalivatione curatio; luctuoſa ſalivationis ſymptomata; verus Mercurii in curandâ Lue Venereâ *uſus.*

AD ſalivationem, Mercurii vel interius ſumpti copioſiùs, vel ejuſdem exterius in unguento applicati ope tanquam ad unicum *Luis Venereæ*

Venereæ remedium indocti hac ætate, doctique pariter, neſcio quo fato confugiunt. Quamvis hos ſaltem latere vix poſſe putem omnem à Mercurio hoc modo adhibito factam curationem, *palliativam* tantum ut aiunt, eſſe, ac fucatam: ut è dictis ſuperiùs colligere licet: adeò ut auſim affirmare neminem inunctioni Mercuriali diu ſuperſtitem fuiſſe, non aliquando recidivum prodente ſe ſemper plurimos etiam poſt annos *Lue*, mitioribus quidem ob repreſſum remediis hoſtis furorem ſymptomatis, ſed tamen iis quæ latere eum adhuc intus oſtendant: hinc enim multos etiam poſt annos, deſtillatio nova, arthritis in quibuſdam, ſurditas, tophi, oſſiumque caries: quin etiam licet hydrargyro peruncti, aut ſalivati, ſibi videantur omnino curati, genitorum tamen à ſe *mala ſtamina vitæ*, ac *Lues* etiam interdum ipſa reconditum ipſorum in corporibus ma-

li

li ſemen apertè demonſtrant: cæterùm indoctos pariter, doctoſque ab hoc ſucati remedii genere meritò deterruerint horrenda illa quæ methodum hanc comitari ſolent ſymptomata: atque ut omittam quæ hac ſuper re omnes norunt, ac plurimi referunt: quoſdam ſcio à ſalivatione, & inunctione, perpetua laboraſſe vertigine, tremoreque, univerſi fere corporis, aut ſaltem identidem, nunc brachiorum, nunc manuum, nunc crurum, nunc pedum, nunc femorum: quinetiam duos vidi qui tumore gutturis ad fauces, intercluſo ob ſaniem retentam ſpiritu, ſuffocati mediâ in ſalivatione perierint: nec ita pridem quiſpiam poſt liberalem inunctionem, ut ex medico fide digno accepi, omnem ſubitò doloris ſenſum extincto nativo colore, nativo ſcilicet *Mercurii* frigore, & unà vitam amiſit. Omitto reliqua, quippe omnibus ſat nota, & quotidie obvia à Mercurio ſalivationem ciente pericula.

Quan-

Quanquam autem hæc ita ſe habeant, non omnem tamen *Mercurii* uſum, ſed eum tantum quo ſalivatio cietur, à curatione *Luis Venereæ* rejicio: aliam itaque longe tutiorem methodum multiplici notam experientiâ, *ſine invidiâ*, publici boni ſtudio, publici juris facio: quam ut facilius intelligas, revocanda tibi ſunt in mentem quæ de ſumma *hydrargyri* frigiditate ſuperius in medium adduxi, quæque de nota ejuſdam mobilitate obiter dixi: quia enim ſummè frigidus eſt Mercurius, quoties calidioris fuerit temperamenti æger, remediisque calidis exſiccari debilitarique nimium videretur, Glacialis eadem *Mercurius* temperabit: modò ea tantùm ejus doſis adhibeatur, quæ cætera medicamenta contemperet, non innatâ frigiditate obtundat, aut eas in microcoſmo tragædias excitet, quas ſive interiùs aſſumatur, ſive inunctione applicetur, ſalivatione excitare ſolet: quia inſuper nihil mobilius inter gravia eſſe poteſt, ab

ipſa

ipſa partium ſuarum tenuium mobilitate habet, quod viſcoſos humores incidere, duroſque tumores, intimâ ſui, celerique inſinuatione, dividere ac reſolvere poſſit: unde exigua ejus quantitas conformiter methodo mox proponendæ adhibita ad velociorem variorum *Luis* ſymptomatum reſolutionem nullo periculoſæ ſalivationis periculo conferre poterit non parum. Hæc autem methodus ita ſe habet.

℞. Mercurii optimè purgati ℥vj. infunde per viginti quatuor horas vel per mediam coque in vini albi ℔vj. effuſum inclinatione, vinum repone ad uſum: tum,

℞. Guaiaci raſp. & corticis ejuſdem ℥ij.

Radic. Chinæ,
Salſaparillæ,
Aſparagi,
Fæniculi,
Graminis ana ℥j.
Pulveris Alabaſtri ʒß.

Foliorum

Foliorum Cichorii
Scabiosæ
Capillaris, viridium si haberi possunt ana M. j.
Seminum Anisi,
Coriandri ana ʒiij.
Cinnamomi ℥j.

Bulliant hæc omnia in superiore *infuso* vel *decocto* ad tertiæ partis consumptionem: in colaturâ infunde iterum Mercurium per horas duodecim & dissolve salis Guaiaci ℥iij. ministra novi hujus decocti inclinatione prius effusi in dosim ℥vj. manè, & vesperè: contineat se æger domi, & in lecto quidem quo die decocto utitur, si citiùs curari velit: alternis itaque diebus aut biduo pro viribus ægroti interjecto, hoc decoctum & has pilulas ad perfectam usque valetudinem usurpet.

℞. Mercurii dulcis ʒij.
Scammonii præparati ʒβ.
Trochiscorum Alhandal ℈j.
Aloes socotrinæ, & Rhabarbari ʒij.

Pulveris

Pulveris diamargariti frigidi ℈ß. Cumque ſyrupo limoniorum fiat maſſa pilularum ex ſingulis ſcrupulis fiant tres pilulæ, vel ex ſingulis ſemidrachmis: has mane æger definitâ prudentis medici judicio doſi ſumat. Cæterum omiſſo ſi libuerit poſt quindecim dies, aut citius decoćto, continuet æger harum pilularum uſum [quæ nulla omnino incutiunt tormina] donec omnia *Luis* ſymptomata, aut graviora ſaltem evanuerint: continuet inquam æger harum pilularum uſum alternis aut biduo etiam, triduove interjećto, nullo dum iis ſolis utitur regimine ſervato.

Hâc perfacili methodo inveteratam etiam lûem, atque ab empiricis quibuſdam malè curatam non ſemel fœliciter deo favente perſanavi: atque hic verus demum eſt, & unicus qui ſecurus ſit & efficax, in curandâ

dâ *Lue Venerea* hydrargyri uſus: quo etiam modo pueris hoc morbo afflictis, innoxius, utiliſque eſſe poſſit: experire itaque: ac experientiæ ipſemet tuæ, ſi meæ nolis, confide.

CAP.

CAP. VII.

Topica quædam Remedia, adverſus præcipua *Luis Venereæ* ſymptomata, tuta, ac ſæpius probata proponit.

Topica erraticorum, ac nocturnorum dolorum Remedia, rarefacientia, digerentia, ac relaxantia: Tophorum ſchirroſorum, carioſorum oſſium, ulcerum Gutturis ac Faucium curatio.

NUllum eſt *Luis Venereæ* ſymptoma, niſi quod nulla arte vinci poterit, quod propoſitis ſuperius remediis, *mutatis* tantum, medici prudentis conſilio, pro ratione ætatis, tempeſtatis, temperamentique uniuſcujuſque, *mutandis*, non paulatim debellatum evaneſcat: quia tamen

ægri interdum longioris impatientes moræ ſunt, ac præſens non pauca, quæ eiſdem moleſtiam creant, levamen requirunt: quî topicis quibuſdam ac facile parabilibus remediis externorum etiam priorum ſymptomatum curatio accelerari poſſit, hoc deinceps capite docebo.

Ac primò quidem, quod attinet ad erraticos interdum per totum corpus, ipſaque per oſſa, nocturnos dolores, quorum ſæpe ægri impatientiſſimi ſunt, hi hiſce fere rarefacientibus, digerentibus, ac relaxantibus oleis imminuuntur ſemper, ac tolluntur interdum. Ejus autem generis ſunt oleum ex Chamæmelo, ex Iride, ex Anetho, ex Malva, ex Althæa, ac Butyrum etiam ipſum, modo ſale careat, aut oleum Ceræ, Butyri, Seminis Ebuli, Terebinthinæ, quibus major quædam virtus ineſt: lana his tepefactis imbuta parti dolenti ſummo ſæpe cum ſucceſſu applicata eſt: mirabilem quoque horum oleorum effectum ad

ſedandos

ſedandos quoſcumque ac venereos maximè dolores expertus ſum.

℞ Olei Scorp. ℥j.
Olei Petreol. ℥iſs.
Olei de Lauro ʒj.
Olei Terebinth. ℥ſs.
M. S. & utere.

Oleum aliud ſummæ contra quemvis Venereum dolorem efficaciæ hunc in modum diu conſervandum parabis.

℞ Roſarum nondum explicatarum p. ij.

Infunde in Olei Olivarum nondum maturarum ſine igne extracti ℔ iv. per horas iv. Roſis Cochleari perforato extractis ſuccum Oleo affundendum exprimes, conſervato interim ad uſum ſedimento: idem quovis die, quamdiu Roſas perfectam nondum maturitatem adeptas decerpendi aderit opportunitas, repe-

tere memineris: hoc itaque Oleum parti cuicumque doloris ſenſu perculſæ quàm calidiſſimum applica, eique, ut melius res ſuccedat, calenti incluſas linteo Roſas ſuperimpone, repetitis renovato alicubi dolore vicibus.

Dolorem porro ex Schirroſis tophis ortum leniri, ipſoſque adeo emolliri, d gerique tophos hoc remedio à Palmario præſcripto ſæpenumero animadverti.

℞ Rad. Althææ, Rad. Lilior. Semin. Lin. Fænugr. ana ℥iſs. Malvæ, Violariæ, Parietariæ, Acanthi, Chamæmeli, Meliloti, Hyſſopi Anethi, Arthemiſiæ ana M. i ſemin. fænug. ℥ſs.

Bulliant hæc omnia duobus ſaccu lis incluſa in aqua communi per aliquod tempus, adjiciatur ſub finem vini albi pars tertia: uſus autem ejuſmodi eſt, ut colatura foveatur quo-

vis

vis diè bis mane, & ſub veſperam Schirroſus tumor, tum reſiccatus ſuperiorum Oleorum quopiam illinatur molliendus certiſſime hoc remedio. ac inſigniter digerendus.

Hæc itaque remedia collectam interdum oſſa inter atque perioſtia craſſiorem pituitam, materiamque, ac quaſcunque etiam Venereas cutis maculas, emolliendo, attenuando, ac liquefaciendo diſcutere poſſunt: at oſſium ipſorum tumor, qui interdum ex *Lue Venerea* contingit, incurabile mihi malum, ſed quod pati quis facile poſſit, omnino videtur, cum doloris omnis aut expers ſit, aut reddi poſſit: quod ad oſſium cariem ſpectat, quæ à pernicioſiſſimo hydrargyri illitu ortum ſæpenumero habet, in factis enim à ſe oſſium cavitatibus repertus is aliquando eſt: ipſius quidem oſſis collapſi moles reſtitui nequit, ne tamen longius ſerpat malum, totamque oſſis ſubſtantiam corrodat, exſo-

lianda, ut loquuntur, carioſa oſſa ſunt hac mirificæ, probatæque virtutis aquâ quæ peritiſſimi Chirurgi operam ſupplere poterit.

℞ Rad. Ariſtoloch. utriuſque,
Gentianæ,
Iridis Florentinæ, ana ℥j.
Calam. Arom.
Cinnamom. ana ℥ß.
Caryophyllor. ʒiij.

Infunde hæc omnia minutim inciſa in aquæ vinariæ ℔ iv. per aliquot dies in ſole, aut per aliquot horas ignem prope ; colaturam præmemoratum in uſum repone, tinctum in hâc aquâ linteum carioſa oſſa bis terve quovis die madefaciat, & laudatam meritò hanc à me aquam fatebere.

Faucium inſuper & oris ulcera *Lue Venerea* infectos ſæpe vexant, quæ ſic facile ſanabis.

℞ Aq. Plantag. q. ſ.
Syr. de Roſis Siccis, Syr.

Syr. de Moris ana q. ſ. Fiat Gargariſma vel collutio ex hordeo Gallico decocto in aqua Plantaginis, additis paſſulis, Glycyrrhiza, conſerva Roſarum pallidarum, Auro foliato, &c.

Si abfuerit inflammatio,

℞ Spir. Vitrioli,

aut Sulphuris q. ſ. Hac mixtura tinge Goſſipium extremo bacillo alligatum: contactu enim ipſo ulceratio Venerea breviſſimo ſæpe tempore perſanatur.

CAP. VIII.

Quibus maximè indiciis *Lues Venerea* contracta intelligatur indicat.

Quas corporis ſentiat affectiones qui cum infecta muliere rem habuerit; quæ ſit harum affectionum cauſſa; diſcrimen dolores inter à Lue Venerea, *ſimplicique ab humorum fluxione ortos.*

QUamvis obvia magis *Luis Venereæ* ſymptomata per capita duo prima perſtrinxerimus, quia tamen magni omnino momenti eſt, omniumque maximè intereſt, vel primos domeſtici hujuſce hoſtis impetus accuratiùs diſtinguere, ne, ut ſæpenumero contingit, microcoſmum eò certiùs demoliatur, quo ſecuriùs, dum ignotus alieno ſub nomine domi

ini latitat, iis maxime ſignis, quæ vix ſagaciorem quempiam fallant unquam, nativis eum, ut aiunt, coloribus depingam: Luis autem adhuc recentis, ut quis ad remedia ſtatim ſuperiora, moderante prudente medico confugiat, indicia hîc tantùm indicabo: inveteratæ enim annoſæque ſymptomata, *lippis* etiam atque *tonſoribus* hoc jam ævo nota ſunt.

Quiſquis igitur impuræ, proſtitutæque ſe meretrici commiſcuerit, ſi *frigidus Luis Venereæ vapor* interiores corporis partes reipsâ invaſerit, id protinus ex repentinâ omnium membrorum laſſitudine, quæ multos etiam poſt coitum dies, perſeverat, cognoſcet; erraticus inſuper, pernixque medios per artus, quique ipſis etiam percipiatur in oſſibus dolor, capitiſque gravedo, ac ſubitus nullâ prægreſsâ causâ mœror, necnon ſomnolentia quædam inſolita, interrupto tamen ſæpius inquietoque ſomno immiſſum altiùs in corpus frigidum

gidum Luis Vaporem indicant: cui ſcilicet vel me tacente hæc mirum adeo in modum ſymptomata congruunt, ut ab alia aptius cauſa derivari vix poſſe putem: Cæterùm quamvis hæc comitetur nulla, nec ſequatur virulenta Gonorrhæa, tantum abeſt ut idcirco à Lue ſecurus ſis, ut inde certiſſimum gravioris tibi morbi immineat periculum: Jam enim *frigidus Veneris* vapor vel expultricem omnino facultatem debilitavit, vel procul à partibus generationi deſtinatis in intimos corporis receſſus abiit, unde ni aptis maturè remediis ejiciatur foras, horrendo poſtea ſpectaculo erupturus eſt, non ſine conſpurcatione omnium *microcoſmi* partium, excidioque interdum nonnullarum, ac vitæ denique ipſius jacturâ, miſerandum planè in modum.

Hæc itaque monita plurimos ſpectant, qui quòd nullam ab impuro concubitu Gonorrhæam patiantur, ſecuros ſe putant à venenato *venerei*

rei vaporis afflatu, licèt præmemorata interim ſentiant ſymptomata, quæ propterea aliis decepti cauſis aſcribunt, putà ſimplici humoris cujuſdam in partes dolore affectas fluxioni, aliive cuipiam cauſæ; atque ita nullo vocato in conſilium medico, aut pudore plane ruſtico, aut avaritia prohibiti, altiores malum agere radices, atque adoleſcere demum ſuam in perniciem ſinunt, non ampliùs niſi magnis & ſumptibus ſuis, & Medici laboribus ſtirpitus evellendum.

Dolorem autem, qui humoris cujuſpiam fluxionem agnoſcat ſui cauſam, ab eo quem *Venereus excitavit vapor*, hoc certiſſimè indicio diſtingues: quod primò, hic artus medios, is articulos excruciet; quod ſecundò, hic caput ſimul ac pectus plerumq; premat, is ut plurimum ſeorſim tantum alterutrum; quod tertiò, hic noctu gravius ſæviat, quaſi ſopitus interdiu, is vehementius urgeat per diem, remiſſius

miſſius interim per noctem, aut certe noctu diuque torqueat.

Cæterùm ſi hæc & ſuperiora ſymptomata virulenta, ut plerumq; fit, Gonorrhæa ſequatur, non propterea ſolius Gonorrhææ, neglectâ contractâ jam certiſſimè *Lue Venerea*, habenda ratio eſt. Sed dum fœdo huic profluvio apta Medicus remedia præſcribit, radicem mali tradita ſuperius methodo radicitus extirpet.

Jam ſi impurum concubitum fœda abſque ullo prædictorum ſymptomatum Gonorrhæa conſequatur, nondum altiùs in corpus penetraſſe venereum frigus intelligitur: turpiſſimum autem hoc ſymptoma ſi negligentiùs, aut imperitiùs curetur, ut ſæpiſſimè contingit, aut diutius neglectum fuerit, aut ſtatim ab initio cohibitum, totius corporis mox eucraſia frigido veneris afflatu evertitur; quapropter, *principiis obſta*, &c.

CAP.

CAP. IX.

Scorbuti & *Luis Venereæ* quoad ſymptomata affinitatem explicat.

Quorundam Medicorum de quovis morbo opinio : conſecrata Lui Venereæ *Remedia profligando ſcorbuto non inutilia : Scorbuti &* Luis Venereæ *diſcrimen.*

NOnnulli non infimæ notæ Medici non abſque aliquâ veri ſpecie ſuſpicantur nullum borealibus maxime in plagis diuturniorem exiſtere morbum, qui non vel à Scorbuto vel à *Lue Venereâ* labis aliquid traxerit : quod an veritati necne conforme ſit, diſputare hîc non placet : Sat ſiquidem fuerit paucis modò expoſuiſſe quanta inter utrumque hunc morbum cognatio ſæpe intercedat, ne

ne qua forte diſcriminis ignorantia in errorem quempiam induceret, quanquam nequaquam gravem fore hunc errorem putem, cum *mutatis mutandis* iiſdem fere utrumque morbum remediis profligari poſſe non ſolus exiſtimem: ac primùm quidem, quod ad cauſam Scorbuti ſpectat, Scorbutum non abſimiliter vero, craſſior, ſpiſſiorque quædam producit pituita, *Luem Veneream* frigidus quidam, ut ſuperius effectum eſt, humiduſque, ut patet, vapor gignit: eſt & major adhuc quædam ipſorum utriuſque ſymptomatum cognatio; Exulcerationes enim, Atrophiam, Diarrhœam, Arthritidem Vagam, capitis gravedinem, membrorum contractionem, ſtuporem, &c. non in Scorbuticis tantum, ſed in iis etiam quos Lues certiſſimè invaſerat, ſæpenumero animadverti; Tophos etiam, Schirroſq; interdum, ſive quod uterque morbus conjunctus fuerit, ſive quod alter in alterum, ut nonnulli

fieri

fieri posse putant, vel potius alium quàm simillimum degenerare soleat.

Aliam quoque ob causam *Luem Veneream* ex vivo Scorbutus exhibet, quod dolores nocturno maximè tempore sævientes excitet, ulceraque maligna, atque exsucca, tubercula dura, tumoresq; œdematosos, ossiumque cariem interdum producat: ut vix alio ex capite à *Venerea Lue* distingui videatur, quàm ex eo quod nec immoderata Venus, nec impurus præcesserit concubitus; hunc tamen in modum utriusque discrimen fere semper cognosces. Scorbuticis deteruntur Gingivæ suffuso sanguine, vacillant dentes contracta nigredine, tremunt præ debilitate interdum Genua, teterrimi sæpe odoris adest halitus, maculæque, aut una potius tetra, nigraque macula aspectu horribilis totas in tibias diffusa: quorum nihil *Lue Venerea* affectis, nisi Scorbuti quidpiam adfuerit, contingit.

CAP.

CAP. X.

De Gonorrhææ virulentæ, ac Bubonis Venerei curatione.

Quid primum inquirendum cum quis ad quempiam Gonorrhæa laborantem accersitur, quædam circa methodum Bubonis curandi monita.

QUoties medicus hominem Gonorrhæa virulentâ, de quâ hîc tantùm agimus, laborantem curandum susçipit: imprimis ex eo quærat an diu ab impuro concubitu, si hic illius origo fuerit, Gonorrhæa necne eruperit: si enim pluribus post concubitum mensibus hoc symptoma apparuerit, certum omnino exploratumque est, *frigidum Luis Venereæ vaporem* ipsum tum sanguinem partesque corporis nobiliores occupasse qui sui in interiorem *Microcosmi Arcem*, dominium hoc corrupti

rupti à se seminis effluvio prodat : quare priore ut libuerit, aut posteriore methodo causam tollere conetur priusquam quidquam in effectum hunc, qui sublatâ causâ paulatim desinet, moliatur : si verò, ut fere fit, paucis post concubitum diebus oriatur Gonorrhæa, quàm maculæ flavescentes indusio impressæ virulentam ostendunt, gravissimum hoc, fœdissimumque malum hunc fere in modum expugnabis.

℞ Cassiæ recèns extractæ ʒj. Rhabarbari Pulverati, & Cremoris Tartari ana ʒj. fiat bolus mane ministrandus, & duabus post horis jusculum ; postero die, si ita visum fuerit, vena aperienda, apparentibus scilicet plethoræ, aut inflammationis circa partes generationi destinatas, indiciis, tum, maximè si inflammatio adfuerit : [hæc enim omnino primum sedanda à quacumque causa orta fuerit :] hanc ministra emulsionem.

℞ Quatuor semin. frigid. ʒ vj. se-

min. papav. albi ʒij. aquæ hordei ℔ ß aquarum Lactucæ, ac Nimphææ ℥ij. aquæ Roſarum ℥j. fiat emulſio in duas doſes additis ſyrupi violacei ℥ij.

Quinque aliis continuè diebus hac utatur æger Ptiſanâ duabus ante prandium horis.

℞ Tamarindor. ℥ij. bulliant in vini albi ℔ iv. ad ℔ iij. in colaturâ infunde frigidè per noctem foliorum ſennæ mundatæ ℥j. Liquiritiæ, Roſarum Rubrarum, ſemin. Coriandri ana ʒij. utere colaturâ, tum per tres dies hoc bolo, mane, & veſpere.

℞ Terebinthinæ Venetæ non lotæ ʒiij.
Rhabarbari pulverati ʒj.
Sacchari q. ſ. m. f bolus.

Si nondum curetur morbus, aſſumat æger per 12 dies has pilulas.

℞ Boli Armeni,
Gummi Sagapeni,
Arab.
Carabe,
Mumiæ ana ʒj. Fiat pulvis: cumque

que Syrupo Cydoniorum fiant pilulæ veſpere ſumendæ, doſis ʒß.

Hoc pariter remedium, ubi Gonorrhæa, albeſcente ac craſſiore jam ſemine, cohibenda eſt, efficaciſſimum expertus ſum ac certiſſimum.

℞ Balauſtiorum pulverator.
Boli armeni ana ʒj.

Infunde per noctem in vini albi ℔ ij. colatura reponatur in ſex doſes matutinas jejuno propinanda, continuandaque ulteriùs, ſi neceſſe ſit; optatum enim exitum ſemper habet. Nihil hîc de victu urgente hoc morbo monui, quem nec plenum eſſe nec parcum oportere ob rationes omnibus obvias omnes norunt: hoc porrò ſymptoma diuturnâ ſcio interdum lenique purgatione curari tandem non infœliciter poſſe, ex diuturniore tamen materiæ efluvio metuendum eſt ne laxatis nimium *Paraſtatarum* poris incurabilis tandem Gonorrhæa evadat, aut exulceratâ urethrâ ulcus generet: quapropter ardore

urinæ, flavedineque ac tenuitate elabentis materiæ ſublatis citra periculum aſtringentibus cohiberi poterit, ac meo quidem judicio omnino debet.

De Bubone Venereo, cujus curatio, præſide ſemper medico, manu præcipuè Chyrurgicâ perficitur; illud tantum monitum te velim, ni ſponte evanuerit, ut minor ſæpe ſponte evaneſcit, eum nunquam eſſe repellendum, ſed quàm validiſſimè foras, quantumvis reluctetur æger, attrahendum, ac prius etiam quàm maturuerit omnino, aperiendum: quia quo diutius apertum fuerit, eò ſecuriorem præſtabit ægrum à *Lue Venereâ*, quam ſequitur interdum, interdum præcurrit: an ſequatur Luem contractam ex apparentibus Luis indiciis, atque ægri confeſſione diſcere poteris: ſi enim longo poſt concubitum impurum intervallo apparuerit, immiſſa altius Lues intelligitur: quare poſt maturatum prius apertumque bubonem integra

Luis

Luis Venereæ curatio inſtituenda eſt: Si verò paucis ab impuro concubitu diebus bubo inguina occuparit, attrahatur ſi fieri poteſt, ac aperiatur, interim ſuperiore quopiam decocto antivenereo, aut *Veneris opiatâ* ſuperius deſcriptâ ab imminente *Luis Venereæ periculo* æger protegatur.

CAP. XI.

Topica quædam ſæpius probata adverſus præcipua Gonorrhææ virulentæ ſymptomata ac appendices.

Glandis, aut præputii, quoties adeſt cum inflammatione tumor, curatio: ſignum exulceratæ urethræ: ejuſdem curatio.

DE iis hîc ago ſymptomatis quæ quocumque demum modo ad Gonorrhæam ſpectant, ſive

 comitentur,

comitentur, ſive præcedant, ſive ſequantur.

Cum itaque non ſine tumore inflammatur ex impuro Concubitu Glans aut Præputium,

℞ Vini generoſi ʒiv.
Sacchari Satur. ℈j.
Camphoræ Gran. xij.
Fiat ablutio.

Vino autem ſubſtituere poteris, vel aquam Plantaginis, vel Spiritum Aquæ Vitæ Matth. vel non minus efficax remedium hoc, frequenti experientia probatum.

℞ Lactis è vacca recentis q. ſ.
Florum Sambuci,
Roſarum Rubrar. ana Mß.
Coquantur Flores in Lacte.

Colaturæ adjiciantur Sacch. Satur. gr. vj. ſi in urethra exulceratio ſentiatur, quam ex acriore inter mejendum

jendum dolore intelliges; ob majoris exulcerationis periculum vix alias admitto injectiones præterquam Lactis dulcis maximè recentis, additis, si lubet, Sacchari Saturni granis aliquot: Subjungam tamen quidpiam ex recentiore quodam cujus virtutem experientia docuit, quod leniter detergit, siccat ac astringit : itaque

℞. Aquæ Hord. ℔ iß.
Aq. Plantaginis ʒiij.
Sacch. Satur. gr. 12.
Mellis Rosati colat. ʒij.
Fiat bis quovis die injectio.

Omnem porro exulcerationem præputii, aut glandis, aut matricis sanant cito, certo, & tuto, tria hæc unguenta : unguentum refrigerans Galeni, unguentum Tutiæ, unguentum Apostolor. Sed exulceratio quædam curatu longe difficilior contingit interdum ex neglecta diutius Gonorrhœâ, aut malè ab empiricis cu-

rata, in ipso scilicet vesicæ collo, aut tenerrimo urethræ ductu : nihil tamen uspiam reperies quod æquè confirmet experientia quàm unguentum hoc à Palmario præscriptum.

℞ Unguent. Ros. Gal. recent. alb. Unguen. è Cerussa loti aqua Rosarum,
Cum Caphura, Pomade ex Capreoli adipe ana ℥j.
M.S. fiat Unguen. Mollissimum ab usu.

Linteolum filo argenteo obvolvatur: ac unguento præmemorato illinatur, in penem immittendum : è quo, relicto linteolo filum extrahatur. Linteolum autem ipsum quoties reddenda urina est, educatur : aliud eadem arte filo adaptatum intromittatur : curatam autem Hypersarcosim tum noveris, cum absque dolore urina redditur : liberque sine offendiculo ad vesicam usque Catheter penetrat.

CAP.

CAP. XII.

Gonorrhæam ſimplicem inter, ac virulentam diſcrimina proponit.

Cur Gonorrhæa ſimplex Gravius ſit virulentâ malum, curatuque difficilius: oppoſitis pæne utraque Gonorrhæa remediis curanda.

GOnorrhæa ſimplex gravius longè malum, curatuque difficilius, quàm virulenta: ab ipſa enim retentricis facultatis debilitate oritur, unde aſtringentibus ſemper, purgantibus nunquam curanda, niſi, quod interdum contingere poteſt, labefactatis demum, corruptiſque ſpiritibus degeneraverit in virulentam: ſimplicem autem à virulenta his præcipuè indiciis ſemper diſcernes.

1. Hanc

1. Hanc ſtranguria plerumque, ſub initium præſertim, ardorque urinæ comitantur, illam verò nequaquam, extillat enim ſenſim ſine ſenſu frigidum ſæpe, aqueumque ſemen.

2. In Gonorrhæâ ſimplici materies erecto prius pene non effluit, in virulentâ inflato ſæpe, magnoque doloris ſenſu, à vapore venereo pene quaſi diſtento, elabitur non rarò.

3. Aqueum eſt fere ſimplicis Gonorrhææ effluvium, virulentæ autem concretum magis, denſiuſque; unde

4. Flaveſcentes hæc, virideſque interdum induſio maculas imprimit: at ſimplex quidem, induſium quoque maculat, ſed inſtar aquæ, aut denſioris potius urinæ.

5. Summo ſæpe aguntur in venerem furore virulenta laborantes Gonorrhæa,

norrhæa, non moventur ad eandem ob cauſam quæ in oculos, ut aiunt, incurrit, ii quos ſimplex tenet.

6. Contabeſcunt paulatim, pereuntque hi ni debilitatarum partium virtus quantocyus reparetur: contra virium vix iſti imminutionem percipiunt ullam, ſolitis vacant negotiis, & ſanorum inſtar inſtant labori.

7. His ſemen guttarum inſtar Lactearum profluit, illis per modum Guttularum denſioris urinæ.

8. Gonorrhæa ſimplex à lapſu ſæpe, à nimio ad pondus quodpiam attollendum conatu, ab equitatione, ab exercitatione nimia plerumque exiſtit: Gallica verò ab immodica venere aliquando, atque ab impuro fere ſemper concubitu oriri ſolet. His, quæ me docuit experientia, tua te, plura fortè adhuc diſcrimina docebit: Summi porro momentieſt utramq; accuratius

tius Gonorrhæam distinguere, quod contrariis pene remediis utramque curari necesse sit.

CAP. XIII.

Remediorum præcipuorum in hoc opusculo propositorum cum expositâ superius Hypothesi *congruitas paucis indicatur.*

MUltiplex adeo experimentum superiora remedia confirmavit ut quamvis prædictæ omnia Hypothesi congruere minus fortè cuipiam viderentur, hanc potius emendari, ac corrigi, quàm illa immutari oporteret: quæ autem sit & horum & illius congruitas quamvis res ipsa, vel me tacente per se loquatur, paucis hic indicasse non omnino abs re fuerit.

Luem veneream, si *essentiam* ejus spectes, nihil esse aliud quam frigidum quemdam vaporem totius

micro-

microcosmi eucrasiam pervertentem non tam suppositimus, quàm probavimus superius. Huic igitur conformiter Hypothesi, aut assertioni potius tantum non demonstratæ duo fere præstitimus: primò frigidissimum mercurium, eo saltem quo adhiberi vulgo solet modo ab hujus morbi curatione proscripsimus: deinde remedia moderatè calida vino ubique in vehiculum adhibito præscripsimus: moderatè inquam calida, quia *frigidus veneris vapor* paulatim edomandus est, nec absque aliquo ægri periculo, meris aut summè calidis ejiceretur: quæ proinde certâ frigidi cujuspiam dosi contemperavimus, ut patet in decocto *antivenereo*, cap. 5. descripto, cui alabastri pulverati ʒiij. addidimus, tum quia pulvis hic frigore suo reliqua medicamenta contemperat, tum quia additus calidioribus urinam copiosiorem & spissam, quod experientia docuit, summo ægri levamine prolicere solet. *Opiatum*

Opiatam autem *Veneris* in eodem capite descriptam patet ex iis quibus constat, calidioris, aperientisque esse temperamenti : frigidis proinde liberaliorem ejus dosim ministrabis, parciorem calidis. Quod ad secundam *curandæ Luis Venereæ* methodum attinet, Mercurio usi sumus, sed eo tantùm modo, quo calidiora temperare, siccioraque non obtundere possit: ut videre est in decocto *antivenereo* sexti capitis, cujus peculiarem vim ac efficaciam experientia docuit, atque in pilulis ibidem descriptis frigido quoque Mercurio ad securiorem usum contemperatis.

Quantum ad Gonorrhæam spectat, sedatâ prius inflammatione quæ ab intercluſâ frigore venereo, partium generationi destinatarum, transpiratione, oritur interdum: remedia quoque moderatè calefacientia proposuimus; moderatus enim est mixturæ illic descriptæ calor: hoc porro symptoma ob conjunctam plerumq;

inflam-

inflammationem moderatis admodum sub initia calidis oppugnari oportebit : si enim jam extincto ardore inveteratum fuerit, generosa etiam vina non rarò profuerunt. Sed Gravis hic oriri videtur difficultas quî scilicet fiat ut *frigidus Veneris vapor* partes Generationi destinatas sæpe inflammet, non item reliquas corporis partes cum altius ascendit : huic jam sæpe difficultati factum est satis : aliquando enim nulla Gonorrhœam inflammatio comitatur, sed laxatis tantum Parastatarum poris frigidum guttatim extillat semen : cum itaque adest inflammatio oritur ut dixi, vel à transpiratione partium *vaporis* adhuc concreti subito impulsu, intercluſa; ipsisque partium angustiis, aut à spiritibus impuro concubitu nimium concitatis, atque ad partes generationi dicatas nimiâ copia confluentibus.

FINIS.

Index Capitum.

CAP. I.

Opiniones duæ de naturâ Luis Venereæ *proponuntur: Authoris opinio,* 1. *Ex variis* Luis *symptomatis probatur.* 2. *Ex insolito quodam, quo* Lues Venerea *interdum contrahitur modo.* 3. *Ex communiori infecti cujusvis statu.* 4. *Ex ipsis quibus* Lues Venerea *profligatur sæpe remediis,* page 1.

CAP. II.

AUthoris opinio ex eo quo Lues Venerea *invadit, ſerpitque, modo confirmatur : res interdum certæ, licet earum modus ſit incertus : luctuoſi* Luis Venereæ *in corpus humanum effectus*, p. 11.

CAP. III.

DEſcriptio Mercurii ab Unzero tradita examinatur, ac, quatenus minùs vero conformis, refellitur ; quam ob cauſſam Mercurius nec ſulphureus nec viſcoſus, nec calidus, licèt ſummè mobilis, penetretque, ac corrodat : mercurialium effluviorum vis proprio

proprio authoris experimento demonſtratur, p. 18.

CAP. IV.

Concluſio è principiis ſuperioribus ſponte fluens illuſtratur: naturæ operatio, Mercurii operationi contraria: curatio Luis Venereæ *ſolius hydrargyri ope omnino fucata,* p. 25.

CAP. V.

Qualia Luis Venereæ *remedia eſſe debeant: ſpeciale adverſus* Luem *decoctum:* Opiata Veneris *proponitur, & deſcribitur,* p. 32.

CAP. VI.

Vocata à salivatione curatio; luctuosa salivationis symptomata; verus Mercurii in curandâ Lue Venereâ *usus,* p. 41.

CAP. VII.

Topica erraticorum ac nocturnorum dolorum Remedia, rarefacientia, digerentia, ac relaxantia: Tophorum schirrosorum, carioſorum ossium, ulcerum Gutturis ac Faucium curatio, p. 49.

CAP.

CAP. VIII.

Quas corporis sentiat affectiones qui cum infecta muliere rem habuerit; quæ sit harum affectionum causa; discrimen dolores inter à Lue Venerea, simplicique ab humorum fluxione ortos, p. 56.

CAP. IX.

Quorundam Medicorum de quovis morbo opinio: consecrata Lui Venereæ Remedia profligando scorbuto non inutilia: Scorbuti & Luis Venereæ discrimen, p. 61.

CAP. X.

Quid primum inquirendum cum quis ad quempiam Gonorrhœa laborantem accerſitur, quædam circa methodum Bubonis curandi monita, p. 64.

CAP. XI.

Glandis, aut præputii, quoties adeſt cum inflammatione tumor, curatio: ſignum exulceratæ urethræ: ejuſdem curatio, p. 69.

CAP. XII.

Cur Gonorrhœa ſimplex Gravius ſit virulentâ malum, curatuque difficilius:

difficilius: oppositis pæne utraque Gonorrhæa remediis curanda, p.73.

CAP. XIII.

R*Emediorum præcipuorum in hoc opusculo propositorum cum expositâ superius* Hypothesi *congruitas paucis indicatur,* p. 76.

Author Lectori.

QUamvis ſub poſteriorem capitis decimi partem ea de Bubonis Venereæ curatione, quæ intelligenti ſat, ſuperque ſint, paucis perſtrinxerim, quædam tamen ad profligandum vulgarem Empyricorum fere omnium ac quorumdam etiam medicorum errorem ſubjungenda hîc putavi.

Quæ autem de tutiore ſalivationis methodo hoc loco appoſui, non eo appoſui conſilio ut à faciliori, quæ ſuperius tradita eſt, ac tutiore, certioreque etiam quamvis longioris moræ, pretiique proinde paulò majoris, homines averterem, ſed idcirco tantum ut iis fieret ſatis qui tritam ſemitam quantumvis periculoſam deſerere nolunt, citiùſque & minoribus impenſis, quam tutiùs & lentiùs paulò curari malunt.

Dissertatio de Buboni Venerei curatione & tutiori salivandi methodo.

BUbonem Venereum non ineptè cum plerisque medicorum de ceteris *inguinis tumoribus impuro tantum concubitu aut immundo infectæ mulieris contactu contractum*: causam itaq; suis proximam *frigidas potentiâ* veneris particulas de quibus supra hac in corporis parte congestas agnoscit. Quæ quidam si illuc a massâ sanguinis validioris naturæ viribus propulsæ fuerint, lues ipsa intimas microcosmi sedes malè, & intimè jam afflavit, buboque tum venereus impuræ matris impurus partus est: si autem non diu ab impuro concubitu, ut plerumque fit accumulata hic veneris corpuscula in tumorem coalescant, bubo tum mere venereus absque lue venerea latiùs adhuc grassante exoritur. Quando bubo venereus sequatur, quando hem venereum præcedat p. 68. Tractatûs præcedentis

cedentis indicavimus: nunc quæ curationis methodum tantùm ſpectant verbo abſolvemus. Ac primò quidam vulgari imò & plerique errore deluſi ſibi perſuadent venam iis non eſſe aperiendam quorum inguina alicujus jam molis bubo occuparit, hac ſcilicet ratione commoti quod bubonis in interiora corporis receptacula à ſanguinis emuſione quaſi refluxum metuant: ſed qui ita cenſent, non animadvertunt duplicem diſtingui bubonem, alterum candidum, alterum rubicundum, ſive alterum pituitoſum, melancholium, ac pœne ſub initia præſertim inſenſibilem, à pituitoſis ſcilicet particulis ortum, alterum bilioſum, ac ſanguineum qui pungente dolore propinquam maturitatem indicat: fateor equidem ob rationem ſuperiùs allatam ægrum nullo catharticorum genere eſſe vexandum ſi hujuſcemodi bubonem patiatur, donec cauſticis, aut, quod ſatiùs putem, ferro matu-

rati puris emissio procurata fuerit: ut præter *Palmariam*, aliosque quotidiana experientia docet: si autem Bubo candidus fuerit nec propinquum ullum suppurationis signum apparet, quia semper timendum est ne tota etiam sanguinis massa infecta sit, quæ purgato interim non propterea mundabitur, non adhibendam tantùm venæ sectionem, sed variis, aptisque alvum cathartici ducendam, ac repetitis identidem sudoribus noxios humores expellendos censeo. Quam quidem praxim felix semper experientia probabit, & probavit hactenus: eam porro qui negligunt, soloque topicorum usu bubonem demoliri conantur, nec sibi, nec ægris rectè consulunt: inexperti itaque sunt qui in casu mox commemorato, catharticis, aperientibusque abstinendum putant, in quo præter Guajaci, Chinæ, & Salsaparillæ decocta, defessque aliquot *opiatæ veneris*, de quâ C. V. Et sudores per plu-

res

res dies provocatos, ut lenta, frigidaque bubonis materia attenuata expiret, utendum insuper iis omnibus est, quibus foras evocari queat, si præsertim non extet, sed tantum quasi alto in inguine percipiatur. Eiusmodi sunt olea liliacea, & chamæmeli, ex quibus embrocha fiant, decocta Panicum Althææ, & liliorum, semin. lini, fænugræci, fœniculi, Malvæ, Violarum, Parietariæ, Chamæmeli, Meliloti, Anethi, Origani, Arthemisiæ ex quibus fiant fomenta: usui quoque poterit esse sine scarificatu Cucurbitula, Cataplasmataque omnia emollientia, evacuato interim identidem corpore tum dejectione tum sudore: huc itaque etiam spectant omnia suppuratoria: hoc à recentiore quodam præscriptum magnæ semper efficaciæ comperi ℞ gummi ammoniaci in aceto molliti, Galbani mirrhæque ʒjß, unguenti Basilici ʒij Hermodactylor. pulver. ʒj ceræ parum si opus sit, fiat Emplastrum: denique

omnia attrahentia & digerentia huc faciunt: nihil itaque causæ subest cur cum plebe, ignarisque empiricis à digerentibus, aut attrahentibus venereæ labis in interiora corporis adyta recessum pertimescamus, cum, utpote calidioris naturæ nihil intro repellant, sed foras potentiùs etiam suppurantibus attenuatam materiam evocent.

De tutiore salivationis Methodo.

QUamvis luis venereæ curandæ methodus in superiore tractatu proposita longè tutior, & quicquidquidem veram illius artem nondum subodorati contra temere satis effutiunt, longè efficacior sit salivatione quocumque demum modo institutâ, quia tamen id incommodi secum affert, quod longiorem moram, & sumptus aliquantò majores requirat, quâ potissimùm ratione salivatio tutò, minoreque ægrotatis periculo cieri possit, experientiâ doctus paucis expediam

pediam, ac primò quidem diligenter in primis animadvertendum est quibus potissimùm salivatio prodesse, quibus obesse queat: neque enim idoneum esse, aut omnibus indiscriminatim luis venereæ remedium, aut æquè omnibus multiplici peritiores experimento didicerunt, ac primò quidem hecticis omnibus, & *phthisi* obnoxiis pryalismum omnino perniciosum esse erroris omnino securus pronuncio: cum enim phthisim ipsius humoris alimentii consumptionem non solus putem, quis vel me tacente non videt spuitatione copiosiore, seu salivatione, quam Hydrargyrus ciere solet, ulteriore humoris hujusce nutritii consumptione phthisim donec ægri vires elanguerint, in momenta promovendam: quoties itaque in quempiam hujusmodi, Medicus inciderit, si conscientiæ, si famæ, si commissio sibi ægro consulere voluerit ad Methodum superiorem vel ad me-

liorem, si novit, neglectaHydrargyro? si recurrat necesse est, quâ tutò, certò, atq; citò curatio obtinetur, modo oculatus medicus sit, atq; *ex lungue* superiùs descripto dignoscere *leonem* possit.

2. Humidis, frigidisque naturâ, seu pituitosis temperamentis ptyalismum minimè, congruum opinor, iis maximè quas per capita tertium, & quartum tractatûs præcedentis perstrinxi, rationibus commotus: nam quamvis quædam contingat à sputatione corporis deficcatio, quia ut optimè notat, si rite memini Palmarius innato sibi frigore, humiditateque solidas etiam corporis partes relaxatas emollit, refrigeratque Mercurius, hinc fit ut primigenii caloris aut extinctione, aut imminutione pituitosa in corpore materies gignatur multorum, & fecundissima parens morborum, puta aslimatis, arthritidis, phthiseos, &c. nullis itaque tutiùs salivatio ope mercurii provocabitur quam

quam calidoris, ſiccioriſque temperamenti: calidiori enim in his hepati frigiditate ſuccurrit, viſcerumque ſiccitati innatâ Mercurius humiditate opitulatur: neque ulterior, periculoſiorque a ſputatione modô non nimia ſit, exſiccatio metuenda eſt, quod viſcoſius tantùm phlegma quo ſicciores abundant, moderata ſalivatio educere ſoleat, unde tophorum, nodorum, cæterorumque exteriorum Symptomatum reſolutio contingere ſolet, at ne diutius te morer: notam mihi multiplici experimento, certamque ſi in cautiorem medicum inciderit praxim propono in eorum gratiam qui ſalivatione periculoſiùs quam methodo prius à nobis traditâ tutiùs curari malunt. Ea autem ita ſe habet mutatis, prout res exiget, mutandis.

℞ Rad. Aſparag. Fœni. Gramin. Chinæ, Salſaparil. ana ℥j
Folior. Cichor. Scab. Capill. ana M. i.
Semin. aniſi, Coriand. ana ʒiij

fiat

fiat decoctio in ℔ vj. aquæ fontanæ ad tertiæ partis consuptionem hujus decoctionis sumat æger mane & vespere ℥vj. tertiâque post sumptam dosim matutinam horâ jusculum ex carne per dies continuè tres, recordare tantùm ni debilior sit æger, primo die & sexto purgandum eum esse infusis per noctem in dosi prædictæ decoctionis senæ ʒiij, Rhabar. ʒj dissol. postea in colaturâ sirup: Ros. ʒß confectionis Hamech ʒiij

Transactis sex hisce diebus ministra ægro bolum ex Mercurii dulcis ϑj, & conservæ rosarum ʒß quem æger bolum prius masticatum deglutiat, postero die eundem bolum sumet, tertioque tertium additis septem, aut octo granis mer. dul. potus interim erit ptisana ex salsaparilla & liquiritiâ confectus, liquorque is quem Angli *possetam* vocant; tribus hisce bolis provocabitur ut plurimùm salivatio, quæ si tardior videatur, accelerari tutò poterit adauctâ bolorum

rum dosi pro prudentis medici judicio, aut exhibitis granis aliquot turbith miner: in conservâ rosarum, quando salivatio statum attigit, hoc est generatim loquendo cum æger viginti fere horarum spatio libras aliquot expuerit, aut cum pleraque Symptomata sexto fere, aut septimo die, aut quandoque citiùs à salivatione in statu constitutâ evanuerint, tum medicus si sputatio nimia judicetur, eam vel Catharsi alio coget, vel guajacinis decoctis exsiccare conabitur, dixi, si nimia sputatio judicetur, si enim moderata fuerit, metu dissenteriæ cohibenda non est, sed promovenda potius identidem unde qui ejus sunt temperamenti ut in salivationem cogi nequeant, repetitis per intervalla Mercurii dulcis dosibus paulatim ad moderatam saltem sputationem movendi sunt: quâ quidem non minùs certò longiore licet tempore opus peragetur, quin etiam si cum delicatioribus rem habeas, qui

pati

pati nihil aut velint, aut possint, conficiendas jube pilulas quadraginta ex Mercurii dulcis bene præparat : gr. 40. & Masticke, unaq; singulis diebus pilula sumatur, unde optatus licet lentiùs consequetur effectus, futuram autem, ut & hoc non omittam in tyronum gratiam salivationem indicant, tumor, dolorque in faucibus, linguæ ac Gingivarum corrosio, dentium vellicatio, metusque suffocationis præter superiùs dicta si quid incommodi eveniat vel in ipsâ salivatione, vel post eam tollendum, juxta praxim expertorum, ac recentiorum quorumdam præscripta, aut mitigandum Gargarismate, ex hordeo, passulis, Glycirrhisa, vel lacte etiam dulci, vel auro foliato, vel conserva rosarum pallidarum exhibitâ vel confectione Alchermes addito auro foliato.

Coronidis hîc loco subjungo prolatas recentiorum quorumdam salivandi methodos : quibus oculatus perspicaxque medicus tutò uti poterit.

rit. Quidam itaque ſalivationem provocant exhibitis turpethi mineralis, gran v. Mercur. dul. gr. vi. ex quibus conficitur pulvis cum regimine ad ſalivationem uſque repetendus, alii nunitrant Mercurii vitæ grana v. Mercurii dulcis gr. vi. conficiuntque aut pulverem additâ Theriacæ ʒj, aut addita conſervâ conficiunt bolum cum regimine repetendum donec ſalivatio ſubſequatur.

Alii ſalivationem promovent ſuffitibus ore vel ano exceptis, vel linimentis, vel unguentis mercurialibus: ex cinnab. aut vulgar. Myrrh. rub. ana. q. s. conficiunt pulverem ſubtilem: cujus quantum cuſpidè cultelli contineri poterit, ter quaterque in prunas ardentes injiciunt, vaporque per infundibulum vitream excipitur capite diligentiùs tectò, ne quid ejus avolet: hæc operatio repetitur, ter quaterve quovis die donec ſalivatio contingat, quem pariter pulverem prunis injectum ano ſupponunt, ut

vapor

vapor iſthac in interiora corporis intromittatur. Linimenta porro ejuſmodi componunt : ℞ Mercu. crud. ſalivâ hominis, aut o°o Terebinth. liliorum albor lumbri & ſimil. extinct. ʒj ung. de Althæa fernel. ʒij olei Carvi ʒj. fiat linimentum. Vel ℞ M. crud. extincti ʒjß, olei Terebin ʒß unguenti nervini, popul. ā ʒjß M. S. his duobus linimentis quovis die plerique inungendi ſunt articuli, Carpus præcipuè, Cubitus, humerus, Genu, Dorſum, digiti manuum, pedumque ad ignem ; linimentaque fortiter impingenda : ac toties in unctio hæc repetenda eſt donec ſalivatio ex ſignis præallatis oritura prævideatur.

Alii denique ut doctiſſimus ſydenhamus miſsâ omni corporis præparatione unguentum præſcribunt ex axungiæ porcinæ ʒij, aut iii, & mercurii crudi ʒj, jubentque ut tertiâ parte dicti unguenti brachia, crura, tibias ad tres noctes continuas manibus ip-

ſe

se suis æger inungat, intactis tamen interim uspiam axillis, inguine, atque abdomine, quod panno lintco tenuiore circumposito & posteriùs consuto à linimenti contactu munire solent; alvi autem profluvio ante salivationem interdum hinc orto succurrunt laudani liquidi usu, aut diascordii ʒß aliquoties exhibitâ: tumque cohibito profluvio salivatio procedit. Hanc methodum plurimus exponit peritissimus Sydenhamus ibi ubi de hoc argumento agit.

Hactenus amice lector præcipuas curandæ luis venereæ methodos paucis proposuimus, si oculatus judicioque pollens practicus sis, quamcumque elegeris fælici successu adhibebis, sin minùs optimis hisce instrumentis imperitus artifex facile abuteris: cæterùm methodus ea in superiore tractatu tradita quæ salivationem ablegat, reliquis mihi crede omnibus tutior, facilior, certiorque quicquid quidam

quidam minùs eam intelligentes contragarriant, comperietur, ſed *Corinthus* eſt, &

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

FINIS.

Davidis Abercrombii,

M. D.

De Variatione, ac Varietate

PULSUS

OBSERVATIONES.

Accessit ejusdem Authoris

NOVA MEDICINÆ

Tum Speculativæ,

Tum Practicæ Clavis.

SIVE ARS

Explorandi Medicas Plantarum, ac Corporum quorumcumque Facultates ex Solo Sapore.

LONDINI:

Impensis *Samuelis Smith*, ad insigne Principis in Cœmiterio Divi Pauli.

MDCLXXXVII.

Honoratiſſimo

Ac Nobiliſſimo Domino,

D. ROBERTO BOYLEO,

Scientiarum utilium propagatori,

Atque Auctori Magno.

PAtere, *vir Nobiliſsime*, ut geminus hic ſtudii, experientiæque meæ fœtus, quam à Parente ſuo nequit, à celeberrimi nominis tui ſplendore, lucem tra-

hat. Quod cum dico non tam BOYLIANÆ gentis, tribúſque tuæ notam ubique Nobilitatem indico, nam,

Et genus & proavos, & quæ
non fecimus ipſi
Vix ea noſtra puto,------

Quam partam tot interituris nunquam ingenii tui monumentis apud Britannos, exteroſque jampridem famam. Quicquid igitur clari adeo nominis ſub auſpiciis in lucem pro-

prodierit, neſcio quo curioſitatis ſtimulo ſpeque operæpretii homines irritaturum eſt, quaſi nihil niſi magnum, limatum, omnibuſque numeris abſolutum tanto philoſopho offerri poſſet, aut deberet: quamvis autem futurum non putem, ut eorum quos ejuſcemodi quæpiam ratio ad gemini hujus opuſculi inſpectionem allicuerit, ex-

pectationi fiat satis, illud tamen asserere ausim harum quarumcumque schedarum lectionem Ipsis non fore prorsus inutilem, vel hoc nomine quod non vanis, vagisque ratiociniis, sed sensuum præcipuè, raro fallentium testimoniis innitantur: posterioris enim tractatuli ut *Justus* extitit parens, ita ejusdem futurus est & Patronus & judex;

Qui

Qui quidem quantumvis mancus, mutiluſque videatur, compendioſioris certe *Botanicæ* non contemnendum forte rudimentum fuerit. Quod ad tractatulum priorem attinet, quem exercitus in noſocomiis frequenter circa ægros, ſanoſque etiam perſæpe *tactus* Genuit. Pauca quidem hoc ipſo ſuper argumento jampridem ſcripſi, qui-

bus fœlicius meritis fatum obtigit : hæc jam iſtis adjicio & nova, & prioribus ob repetita identidem experimenta longe certiora Cæterum qualiacumque demum hæc opuſcula fuerint, gemina hæc tibi ceu munuſcula offerenda putavi, quod ea non ex intrinſeco ipſis pretio, quod ſanè perquam exiguum eſſe non diffiteor, ſed ex offe-

offerentis animo æſtimaturum te probe norim. At ne rebus te novis in reipublicæ litterariæ emolumentum ſemper intentum diutius interpellem, pretioſiſſimi tibi temporis diſpendio moleſtiam pluribus non creabo, tui interim non verbo tenus, ſed reipſa

Obſervantiſsimus,

D. A.

Author Lectori.

Benevole Lector,

AN *quod omnium pene ſermone de Medicis* Sinenſibus *percrebuit, qui præterita etiam morbi cujuſcumque ſymptomata ex venæ micatione diſcernunt, vero necne conforme ſit, dubius omnino hæreo: certum tamen mihi exploratumque eſt præſentem ægri penitus noſſe ſtatum adeo peculiare Medici eſſe munus, ut qui hac imbutus Scientia non fuerit, Empyricis, non Medicis merito annumerandus ſit. Quot tamen artis etiam Apollineæ profeſſores*

ſeſſores reperias, qui pulſum ex conſuetudine cum ægros inviſunt, non ex arte, ſed comicè attrectent: qui quidem fortuitò plurima omnem in eventum periculi interim omnis ſecuri, quia prorſus neſcii ſummo ægrotantium damno præſcribere ſolent: Certâ igitur pulſus *ſeu præcipuarum venæ micationum notitia his omnibus obviam itur incommodis: hanc enim qui ſibi comparaverit, apta, opportunaque fere ſemper, extremaque tantum in extremis certo* pulſus *motu indicatis miniſtrabit, omnemque ægroti in pejus, meliuſve mutationem lynceus obſervabit, unde aut quæ nutantem naturam confirment, aut quæ ſuperantem, jam morbum ad ulteriorem,*

orem, integramque demum victoriam juvent, tempestivè, atque opportunè præscribere poterit. Quia autem hæc nemo probè norit qui tum Variationem, *tum* Varietatem *pulsuum, non intellexerit; meas de utrâque Observationes variis factas in nosocomiis Paucis hic tibi Proposui: quæ quam minimè à vero deviæ sint, ut me aliquot annorum Experientia docuit, te quoque ut spero, si tamen tactu, aut facultate potius diversam* tactûs, *à* pulsu, *affectionem discernendi polleas, tua quoque ipsius, confido, docebit, vale itaque atque alino non ingratus labore fruere.*

DE

DE

Variatione & Varietate

Pulsûs

OBSERVATIONES.

Pars Prior

De Variatione Pulsûs.

SECT. I.

Pulsûs quid? Quæ præcipuè ejus Variationem inducant.

NIli *fontibus* meo quidem Judicio obscurior *pulsûs* origo est: sive enim ad qualitatem quamdam *pulsificam* ut Aristotelici ad *occultas* solent,

lent, confugerimus, ſive innatum arteriis, muſculiſque, aut à Spiritibus minuſque otioſis ſanguinis particulis impreſſum iiſdem motum qui pulſus dicatur, finxerimus, vix quidquam tamen adduxerimus in medium quod illuſtriorem aliquam veri ſpeciem præſe ferat: quamvis, cum hinc ingenitus quidam arteriis, muſculiſque emiſſo omni ſanguine motus ipſius experientiæ teſtimonio in animali mortuo ſæpe comprobetur, inde verò ſubtiliorum agitatio Spirituum quibus obvia, ac ſponte præſertim mota faciliùs moveantur, ſatis ſuperque eluceſcat, nihil me nimiùm verò abſimile dicturum putem ſi *pulſum* ex Spirituum, arteriarum, ac muſculorum conjunctim motu proficiſci dixero non tam eo conſilio ut veritatem attigiſſe, videri velim, quam ne tantam difficultatem, ſilentio penitus præteriiſſe videar. Quare ſuam unicuique adeo denſis in tenebris mentem lubens permitto, atque ut nullius hâc ſuper re in verba Magiſtri

Juro,

Juro, ita meis nemo, si ratione nolit, per me licet, fidem verbis habeat. Quo circa cum fluctuet animus, dubiusque hæream, quid de obscurâ *pulsus* origine conformiùs rationi sentire oporteat, utiliora longe hac speculatione quam fœlicioribus ingeniis relinquo, certioraque proponam cum non vanis ea conjecturis, sed certissimis sensuum rarò fallentium testimoniis innitantur. Quemadmodum igitur quid reipsâ fortuna sit licet vix explicare possimus, instabiles tamen ejusdem vices, inconstantiamque quotidianâ pene experientiâ sentimus, ita prorsus quamvis *Pulsus* originem explorare intimè nequeamus, ejusdem in momenta mutationem, variationemque, nisi tangendi facultate destituti fuerimus, nescire non possumus. Quæ quidem consideratio magni omnino momenti est cum hinc certiùs quam ex quovis exteriore phænomeno non corporis modò habitus, sive laudabilis fuerit, sive secus, dignosci queat, sed

etiam

etiam quos in *Microcoſmo* tumultus externa quam plurima, quæ *pulſum* variant, ciere queant: *Pulsûs* autem *Variationem* niſi quandoque inſigniorem ii tantum facile perceperint, qui repetitis ſæpe vicibus, atque quotidiano pene aliquot annorum exercitio *tactum*, tum ad ſuum, tum ad alienum etiam *pulſum* non indiligenter erudierint. Id autem à me cum impigrè peculiari ſemper ſtudio factitatum fuerit, ex *Pulſu*, ſignis vix fallentibus, tum ad corporis, tum ad animi temperamentum ſpectantia plura quædam colligere ſoleo quam hîc referre expediat, aut etiam liceat, quod ea maximè è quibuſdam arteriarum undulationibus pendeant, quibus ita ut intelligantur explicandis nulla ſat apta hactenus vocabula adinventa ſunt. Ut igitur Pulſûs *Variationem* prius, quam natam hinc *Varietatem* exponamus: illam hæc, multaque adhuc forſitan alia certiſſimè inducunt, *Clima*, *Tempus*, *Temperamentum*, *Ætas*, *Diæta*, *Paſſio*, *Morbus*:

Morbus: De quibus ea tantum dicam quæ propria ipſe experientia didici: quod ſemel hic annotaſſe ſat ſuperque fuerit.

SECT. II.

Clima.

CLima autem hic non latiore tantum ſenſu, ſed ſtrictiore etiam minúſque uſitato pro vario locorum in eadem regione ſitu, uſurpo: quocumque autem ſenſu ſumatur, *pulſum* teſte in dies experientiâ haud dubiè immutat, hoc eſt alium ab ejuſdem motu alio in climate motum inducit: quod hac ratione, multiplici mox experientiâ, confirmandâ probari poterit: duo enim omnino quâvis in regione ſpectanda occurrunt, ſoli ſcilicet ipſius temperamentum, Cœlique temperies; neque enim à Cœlo tantum corpora noſtra patiuntur, ſed ab ipsâ etiam

terrâ, emiſſis quibus variè afficiantur vaporibus, quod à celeberrimo Boylio alicubi obſervatum eſt ac probatum: cum itaque alibi Cœlum obnubilum, pluvium, denſumque ſit, ſerenum alibi, ſudum, tenueque fere ſemper, ac ſolum pariter ipſum varium maximè eſſe conſtet, paludoſum ſcilicet, nemoroſum, aquaticum, foſſilibuſque omnis generis imprægnatum, fieri nequit ut non plurimæ, variæque omnino hinc exiſtant corporum noſtrorum affectiones, quas ex Pulſu graviore, pleniore, remiſſiore, acutiore, ſubſultante, magiſque vel minus intermittente peritior quis facilè dignoſcat: Vel enim extimas corporis partes corpuſcula ſive è Cœlis prolapſa, ventove advecta, ſive è terris erumpentia arctiùs premunt, vel patefacto ſibi per cutis poros aditu intima Microcoſmi adyta pervadunt: utrovis autem modo res contingat, neceſſe eſt, vel me tacente, ut inteſtini Microcoſmi motus aut partium compreſſione,

ſione, aut irritatione tardiores, vel velociores fiant, aut forte etiam, ut quandoque contingit, omnino ſupprimantur. Ex his peculiares obſervatorum à me rationes, cauſſaſque pro captu quiſque ſuo deducere poterit: atque ut quid potiſſimum in Cœlo Gallico, Attico etiam ſuaviore obſervarim, paucis primùm exponam. Hominum illic Pulſus integrâ valetudine, de quo tantum ſtatu intelligendi adhuc ſumus, longe æquabiliores, quam reliquis in Europæ partibus quas quidem peragrare mihi licuit, comperi, celerior licet ibi quam alibi, ut & liberior arteriarum pulſatio, de indigenis loquor, eſſe ſoleat: qui tamen nemora, Loca paludibus inſita, vel obſita aut metallicis fodinis ſuperimpoſita colunt, his ut ſæpenumerò animadverti obtuſus, aut quaſi conſopitus etiam in Gallia Pulſus eſt: quem acuunt *Burgundis*, quos inter quadrienium non otioſus vixi, generoſiſſima, quæ non procul ab urbe *Belnenſi* creſcunt vina, mitigant

verò Campaniæ Incolis Rhemenſia longe mitiora, communemque aptiora in uſum. Germanis, porro, Belgiſque, generatim loquor, necnon Anglis, Scotiſque incertus admodum eſt *Pulſus* ob liberaliorem, aut illiberaliorem potius potum, nimiumque carnium eſum, ob nimiam quandoque venerem otiumque, vitam denique, ut verbo dicam fere exlegem, ex quâ Scorbutici hîc plerique, Hydropici, Icterici, Apoplectici non pauci, Hecticique quam Plurimi: ſed ut pecularius quiddam adhuc ſuperaddam, profundus quantum ego quidem animadvertere potui, & quaſi ebriorum more, nutans titubanſque Pulſus in Germanis, in Belgis languidior, in Anglis, Scotiſque præſertim plenior, acutiorque obſervatur: quamvis ob rationes forte ſuperiùs allatas in eodem hi populi ſtatu, *exceptis excipiendis*, vix unquam Diu perſeverent. Cæterum quovis ſub Cœlo aliter iis vena micat, qui montium juga, aliter iis qui aperta

incolunt æquora, aut ſubjectas montibus valles, aut loca etiam nemoroſa: his enim qui altiùs habitant, ſolique propiores, perniciùs movetur Pulſus quam humilium plagarum incolis, in quibus fere ſemper diaſtolem ſyſtole comperi pigriorem.

SECT. III.

Tempus.

IPſa Temporum Variatione Variari quoque Pulſus micationem ii omnes qui pulſum aliquando, aut ſuum, aut alienum curioſiùs attrectarint, probè norunt: pluvio enim tempore, teſte experientiâ, liberiùs fere micat quod tum forte extimas corporis partes incumbentis atmoſphæræ pondus non tantum premat, quippe quæ vaporum jam e nubibus reſolutorum lapſu levior evadat, ut ex Mercurii in Barometris deſcenſu liquidò liquet:

quamdiu autem ſereniore jam Cœlo ſuſpenſæ manent exhalationes, vaporeſque, premuntur quamvis preſſionis ſenſum ipſa conſuetudo tollat, aeris undique incumbentis pondere corpora noſtra, quorum proinde partes, nervi, puta, & Arteriæ, Muſculi, &c. Sui quadam contractione ſeu ſyſtole excludunt à ſe copioſum humorem qui variis modis, viiſque à corpore ſecernatur: unde liberior, æquabilior, ac quaſi hilarior, Muſculorum, Arteriarumque micatio exiſtat. Porro *cæteris paribus* omnibus firma valetudine gaudentibus turbatiùs micat Pulſus vere, quam æſtate, quod tum temporis ipſam ubique naturam fermentatio quædam exagitet; quâ fit ut quidam in omni vitâ prædito ſucci alimentitii commotione tumultus contingat. Per æſtatem verò præſertim calidiorem, languidiorem in pleriſque Arteriarum eſſe motum conſtat, quem & in multis etiam valentioribus, aut exilem admodum, aut vix niſi à motu, potu-

ve

ve vini generoſioris perceperis: iis tamen in regionibus in quibus ſedatior æſtus eſt, robuſtiore plerumque Pulſus motu tactui etiam minus erudito æſtivo tempore ſeſe oggerit: qui deliquium in pleriſque ſub autumnum pati videtur, quod forte inſiti Arteriis motus adjutores animales ſpiritus phœbi jam receſſu, priſtino deſtituantur vigore, quem mox ingruente hiemis frigore reſumunt: arctiore enim jam pororum obſtructione, quæ priùs iis patentioribus quaſi ſpirabant, cientia calorem corpuſcula violentiùs minore jam intus in ſpatio, & ſe & Arterias movent: ſed neque tantum diverſæ anni tempeſtates diverſitatem Pulſus efficiunt: quâvis enim diei horâ ſi accuratiùs quis obſervare voluerit, non levem ejuſdem mutationem perceperit: has autem præcipuè variationes ipſe notavi quas fere eaſdem quotidianâ quiſque experientiâ probare poterit. Statim à ſomno quietiore, æquabili plerumque micatione

temperatum diffuſo per corpus fero, ſanguinis Spirituumque ardorem indiciis haud obſcuris Pulſus indicat: à ſomno turbatiore turbatior quoque eſt, tenuior tamen & acutior ſolito: turbatio quidem ab impeditâ, obſtructione quâpiam ſanguinis circulatione, tenuitas verò ab ipsâ ſpirituum quaſi à vigiliâ debilitate oritur: quocirca plenior à ſpiritibus Arteriiſque conjunctim motus expectandus non eſt: varii pariter corporis reliquum per diem tum ſitus, tum motus, paſſioneſque, ut ſuo loco dicemus, quieſque ipſa variè Pulſum immutant; equitatio præſertim, celerem ſed inæqualem ac quaſi quadrupedantem Pulsûs motum gignit: modica interdiu deambulatio vel repetito aliquoties per cubiculum itu redituque ad liberiorem ſpirituum atque Arteriarum motum plurimum conferet: quem & impeditum ſæpe numerò extricavit. Si quis pluribus per diem & arduis intentus negotiis fuerit, debilem, fluctuantem, incertam, ſi

præ

præſertim incœnatus conceſſerit cubitum, *micationem* ſentiet.

SECT. IV.

Temperamentum.

CUm *Temperamentum* ex vario partium corporis ſitu, connexioneque inter ſe oriatur, variam inde enaſci Pulſus micationem neceſſe eſt: hanc enim corpuſculorum copora noſtra conſtituentium connexionem non aliunde proficiſci putem, quam à ſpirituum animalium, innatoque muſculorum, atque arteriarum fibris contractionis, ac dilatationis motu; pro cujus majore, aut minore velocitate, ut arctior, aut ſolutior machinæ corporeæ compages eſt, ita majore, minoreque celeritate ſeſe exſerunt, micantque Arteriæ. Quam varium itaque futurum temperamentum eſt, tam varium quoque *Pulſum* agnoſcamus oportet: in nemine

nemine autem inconſtantiorem ejuſdem micationem offendes quam in iis qui omnium hominum conſtantiſſimi perhibentur, in iis inquam quos ab atra bile *Melancholicos* homines vulgò dicunt: interdum enim omni eos Pulſu prorſus deſtitutos crederes quod exigua adeo ſit, profundaque intus venarum micatio ut vix aut ne vix quidem ſentiri poſſit. Quæ tamen interdum frequenti adeo, violentoque ſeſe motu prodit, ut jam vehementiſſimo febris paroxyſmo corripi eos exiſtimares, aliàs tamen tam quieta, tranquillaque eſt ut ejuſcemodi homines temperamentum ad pondus nactos putares: fluctuat denique his interdum Pulſus, non rarò ſerpit, atque in gyrum etiam, quod mirêre quandoque agitur: quæ inde omnia oriri fortè non nimium abſimiliter verò dixerimus, quod innumeris ejuſmodi homines, ſeriiſque ſpeculationibus, varios ſpirituum, Muſculorum, Arteriarum, Venarumque motus inducant:

dum

ùm enim rebus ab humanis quaſi
oſtracti, reductique in ſeipſos altiori
eſe tradunt ſpeculationi, tanta ſubti-
ium, atque ignearum corporis parti-
m expiratio fit, ut *Pulſus* ſpirituum
am adminiculo pene deſtitutus quo-
ammodo ſepultus videatur, qui exſe-
it ſeſe rurſus ac reviviſcit ubi repor-
atâ jam de difficultate quæ medita-
ionis argumentum fuerat, veluti vi-
oriâ animus ad ſe ſucceſſu lætus re-
ierit. Fluctuationem verò ac cir-
ulationem ipſa rerum difficilium at-
que incertarum ſpeculatio gignit. Jam
in quibus bilis principatum obtinuit,
his elatus plerumque Pulſus accidit
quod innatus, Muſculis, Arteriiſque
motus ardentiorum in hoc *Tempera-
mento* ſpirituum impetu plurimùm
augeatur: quoties tamen nimius æſta-
tis ingruit æſtus, Pulſus in his ſine vi-
ribus, evaneſcere ſolet: Patefactis e-
nim *ambientis* calore poris, ſubtiliores,
agilioreſque qui intus in virium ſup-
plementum ultro citroque commeant
ſpiritus,

ſpiritus, continuò erumpunt, ac con. continuè, donec tota Microcoſmi Machina præ languore ac debilitate diffluere videatur: Porro ſanguineis æquabiliùs, quam reliquis hominum vena micat, quia majore in his ſpirituum copiâ contingit ut viæ minus obſtruantur, rariùſque proinde motus, aut interruptus quieſcat, aut imminutus, pigrior percipiatur: Plena itaque, liberaque fere ſemper *Temperamento Sanguineo* diaſtole eſt, atque æqualibus fere temporum ſpatiis diaſtoles, ſyſtoleſque reciprocatio. Phlegmaticos denique ex Pulſu ſemper tardiore licet ſat æquali dignoſces, quem tamen in Scorbuticis, atque hyſtericis cujûſcumque temperamenti varium ac mutabilem in momenta comperies.

SECT.

SECT. V.

Ætas.

UT ipſum partium corpus humanum conſtantium immutat contextum ætas, ita omnes earumdem motus, Muſculorum præſertim, Arteriarum, Venarumque, quemadmodum omnes norunt, maximè varios efficit: Puſionibus itaque, infantibus, pueriſque circiter quadrimis, tenuis plerumque, nec ſat interdum obvia tactui etiam exercitato, atque erudito Pulſatio eſt, non tam ob ſpirituum inopiam, quam ob copioſioris lymphæ affluxum, quâ ſubtiliorum, magiſque igneorum corpuſculorum liber commeatus prohibetur; unde fit ut ingenitus Muſculis Arteriiſque motus non parum imminuatur: obtuſi enim atque hebetati quia copioſiore lymphâ diluti ſpiritus Solitum *fibris* impulſum imprimere neque-

nequeunt. Jam verò ubi major tempore vires fuerint, discusso supe fluo humore aut crebriore exerciti aut vehementiore nunc corporis calo extricat sese *Pulsus*, Pulsatque tactu etiam hebetem, atque inassuetum ea quæ intemperiem quandoque min expertis febrilem exhibeat. Validi hic *Pulsûs* impetus seriùs frigidis i regionibus quam in calidis oritur, riusque desinit; forte quod his in p gis cum *ambientis* calor continuè veh mentior nunquam sit, nec crudos junioribus humores citò digerere, n innatum provectiorum calorem ob p ros frigido in climate magis con pressos facilè dissipare queat: quocir calidiorum climatum incolis, sub qu dragesimum fere annum Pulsus deb lior evadit, qui minùs torridis in r gionibus, natis, ac educatis, etiam a num altra quinquagesimum veget percipitur. Cæterum Senum firm quamvis valetudine fruentium ut fa lax robur, ita fallax omnino incertu

que Pulsus est, quod à temperamento cuivis aeris impressioni facilè obnoxio non absimiliter verò oboriri putarim: cum pluribus enim in Galliâ atque alibi senibus, variis temporibus perquam familiariter vixi, quibus vena sereno Cœlo segniùs micaret, concitatiùs verò pluvio, at sævientibus vehementiùs ventis trepidaret quodammodo, ac quasi nutaret interdum, à somno autem liberior foret, interdiu postea adeo mutabilis ut alia esset lucente sole, alia eodem nubium objectu oculis subtracto diastoles, ac systoles reciprocatio: quin etiam in sene quodam jam morti proximo Pulsum aliquando offendi plenum, vegetum, validoque quod præcipuè, mirabar, ferientem ictu tactum: hanc tamen in hoc *filicernio* micationem, lethalem ut reipsa fuit, pronunciavi, quod dicto citiùs variationem mox in eâdem, *recessum, accessumque* subitum, *nutationem*, ac quasi *circulationem* quamdam gnaro horum omnium motuum, atque aliorum

quam

quam plurimorum tactu perciperem: quamvis itaque seniorum Pulsui non nimis, aut non omnino esse fidendum quidam inexperti asserant, frequenti doctus experientiâ internum eorum habitum, statumque, & quibus maximè pares remediis vires habeant, quæque vitæ diuturnioris spes affulgeat, indiciis haud obscuris, ac rarò fallentibus conjicere soleo. Quamvis, cum mortis metu mortem accelerandam judico, ipsi ægro mentem quandoque prudenter dissimulem.

SECT. VI.

Diæta.

Diætâ, seu ipsa victûs ratione variari *Pulsum* licet notius sit quam ut dici debeat, quia tamen pauci forte hanc variationem propiùs inspexerunt, pauc[illegible]is indicabo, qui rem minùs co[illegible]nt. Diætam autem

autem quamvis pro tenui tantum victu Medici plerique usurpent, latiore hic sensu sumo prout quamcumque etiam victûs rationem sonat, quo nomine quodcumque pariter corporis exercitium intelligendum venit. Cum itaque voluptas, teste Tullio, alia gutturis, Alia ventris sit, non levis ab utroque hoc fonte Pulsûs variatio existit: ac primò quidem Epicureorum more, qui cibis se, vinoque in dies ingurgitant, ut obtusum his plerumque ingenium, hebetes oculi, pigrumque corpus, ita & venæ micatio hebetior, esse solet; nisi forte ut sæpe contingit illiberalior compotatio nutantem eam, ac quasi ebriam reddiderit: cum enim tres ipsas, aut quatuor etiam horas comestioni, carnium præsertim, quotidie fere non pauci impendant, donec appetitus non tantum compressus, famesque sedata, sed dum insita Palato gustandi facultas sublata fuerit; Necesse prorsus est, innatum calorem aut penitus extingui, aut certè eousque

imminui, ut arteriæ jam muſculique movere ſe eodem, quo prius impetu, nequeant : unde labefactatis ſpirituum, arteriarumque viribus, motus quidam veluti vertiginis in pulſu oritur non multum abſimilis trochi, abſolutis circulationibus innumeris jam expirantis, titubationi : quod quidem in causâ eſt cur mirum mihi non videatur, ſi repentinâ interdum ejuſmodi homines morte de medio tollantur, cum vacillans *Pulſatio* præſens ſemper periculum non niſi præſenti remedio ſubmovendum portendat. Qui contrariam omnino vitæ rationem ineunt, corpuſque aut electione, aut neceſſitate emaciant, tenuiſſimo, lentiſſimoque Pulsûs motu virium deliquium, animique etiam forte propinquum oſtendunt. Fieri enim nequit ut dilatationis, contractioniſque in muſculis motus validior ſit, ubi ſolito diu ſupplemento muſculi caruerint. Qui autem naturam neque cibis, neque potu, neque ſomno obruunt, nec ni-

miis

miis jejuniis, vigiliiſque debilitant, ſed *auream* diligunt, ſervantque in omnibus vitæ muniis *Mediocritatem*, hos æquabilis venarum micatio omnis ſecuros casûs facit. Si quæ tamen variatio contigerit, hæc fere oritur, vel a violentiore quopiam exercitio, ut equitatione, curſu, ſpeculatione, &c. vel a ſubitâ temporis mutatione, cui etiam temperatiores quantumvis tranquilli temperamenti obnoxii ſunt: ſed ut à cauſsâ externâ hæc omnis varietas emanat, ita hâc ſublatâ, ipſa quoque deſinit. Langueſcentem tamen in his diutius à ſumpto cibo, remiſſumque Pulſum quandoque percipies; quem cave propterea mali ominis exiſtimes: naturæ enim tantum deſiderium, non morbum indicat; cum ſumpto ſolitis horis cibo fortiorem Tangenti diaſtolem mox exhibeat. De iis quæ nullius in voluptatum etiam legitimarum uſu *Diætæ* rationem habent, nihil habeo, quod dicam peculiari obſervatione dignum, ni quod efferatiùs quamdiu

vegetæ ſunt vires, micent his venæ, quæ, corpore, infami commercio, jam prorſus effœto, reciprocantes *Diaſtoles*, ſyſtoleſque motus non niſi interruptis temporum intervallis exhibeant.

SECT. VII.

Paſſio.

ANimi Pathemata, ſeu Paſſiones variam venæ micationem inducere nemini mirum videri debet ; cum apertis, perſpicuiſque modis ipſa etiam corpora noſtra moveant : quod ex oculorum ſcintillatione, extinctione, languore, Pallore vultûs, ac rubore, cæteriſque efferatis, quos immoderatior animi commotio gignit, motibus ſat ſuperque vel me tacente eluceſcit. Sed ut quid hac ſuper re à me propiùs obſervatum ſit, paucis exponam : tantam ſæpenumero animadverti à metu *Pulsûs* mutationem ut jam jam animam

mam eum exhalaturum, quem nimius oppreſſerat metus, exiſtimarem. Turbata enim primò venæ micatio, mox refuga, tum fluctuans, circumacta deinde, ac denique pene nulla præ tenuitate videbatur: quod ſcilicet refluo ad cor nimiâ copiâ ſanguine, & ipſum opprimeretur, & Muſculi, Arteriæ, venæque auxiliaribus ſpirituum ad motum copiis deſtituerentur. E contrà ubi commotis ſubitò fibris præcordia exultant, ſeu quoties nimia Muſculorum, Arteriarumque relaxatio nimio ex Gaudio contingit, Plenus adeo, frequenſque ferit tactum Pulſus, ut quia violentus nimium, ni quantocyus ſedetur, vehementiorem in momenta cordis palpitationem indiciis haud obſcuris, mortemque interdum ipſam in vicinâ indicet, cum non ſemel dilatatis nimiùm nimio Gaudio fibris, ipſa ſpirituum diſſipatio homines de medio ſuſtulerit. Operoſi opus laboris foret ſpeciatim exponere, quid reliquæ in *Venæ micationem*

paſſiones queant,cum ſuâ quiſq; experientiâ diſcere id,ac docere poſſit: quem enim graviores adeo occupatum curæ tenent, ut inſomnes etiam noctes ſæpe invitus traducat, debilem is ſentit, atque inæqualem venæ micationem, quod *Labor actus in orbem*, cogitationumque in momenta recurrentium quaſi turmæ, auxiliares, de quibus mox, ſpirituum copias, aut opprimant,aut aliò, ad caput puta,cerebrumque ab extremis, Mediiſque Microcoſmi plagis avocent. Conſopitum pariter tenet diuturnior animi mœror Pulſum, adeo ut hoc eum, aut non abſimili morbo laborare tutò pronuntiare poſſis, cui viribus cæteroquin firmis, valetudineque reipsâ, atque in ſpeciem integrâ vena micat profundiùs, Tenuique, ſed frequenti, atque acutâ quodammodo diaſtole tactum ferit: ſed nihil magis immutat *Pulsûs micationem*, quam vehementior iræ impetus: Quaſi enim *unà Eruſque, notuſque ruerent, creberque procellis Africus,*

cus, ingentes humano in corpore humorum veluti fluctus tollit: unde non vultûs modò immutatio, sed & Pulsûs quoque contingit tanta interdum, ut correptum subitâ irâ hominem diriſſimis æſtuum febrilium paroxyſmis concuti ex *Pulſu* crederes: qui tamen micationem mox ſuam remittit, ubi à primo quis iracundiæ impetu reſpirare nonnihil cœperit, ac tandem denique ipſa cum viribus Pulſatio interdum omnis evanescit, aut certe ſpirituum agitatorum aufugio, debilis adeo, quem vicit ira, evadit, ut contracto inde morbo in dies poſtmodùm contabeſcat. Ex quibus omnibus colligere licet, Quia fœminas minùs maſculæ virtutis, paſſiones non in dies modò, ſed & in horas, ac momenta etiam pene ſingula exagitant, nihil inſtabilius, incertiúſque earum eſſe *Pulſu*, utpote quem nunc amor, nunc odium, nunc ira, nunc invidia, modò triſtitia, modò Gaudium, fuſæ interdum lacrymæ, riſus inter-

dum muliebri modo effusus quovis sæpius die immutare soleant : *adeo varium est, ac mutabile semper fœmina.*

SECT. VIII.

Morbus.

OBviam variis in Morbis Pulsûs variationem observare accuratiùs tanti in re Apollineâ momenti, est, ut ei medico neminem tutò fidere posse putem, qui peculiari hanc studio non didicerit : non paucos tamen inter celebriores etiam reperias , qui ad ægros accersiti, aut Pulsum vix attrectent , aut supinâ Motuum Pulsui peculiarium ignorantiâ præsentem ægrotantis statum non intelligunt ; de quo tamen, quod inscitiæ sibi nomen àsilentio metuant,sciolorum more audacter pronuncient : quos ut ad hoc, ipsâ impositum ab arte munus aptiores

aptiores reddam, quæ præcipuæ varis in Morbis Pulſuum mutationes contingant, paucis dicam, quamvis ſuâ quiſque experientiâ, meliùs forte has, quam alienis ex obſervationibus diſcere poſſit. In febribus itaque generatim aſſero triplicem pro triplici horum morborum quaſi ætate contingere variationem: aliter enim micat vena ſub Morbi initium, aliter in ſtatu, aliter ſub finem: turbatus enim eſt primùm Pulſus, nec ſat extricatus, tum liberior, ac plenus, denique debilior, unâque hac debilitate à ſaniore Pulſu diſtinctus: quoties autem ab artuum fremitu, totiuſque corporis horrore, ſeu tremore paroxyſmus inchoatur, tenuiter tum vena micat, at celerrimè, opprimique quodammodo videtur, quod forte heterogeneæ, quibus fermentatio promovetur, particulæ minùs adhuc perfectè comminutæ, commixtæque ſanguini fuerint: ubi enim, ſedato poſt aliquod tempus tremore, ſolitus ſuccedit æſtus, extricatior,

Pleniorque

Pleniorque percipitur *Micatio*, quam nimius ſemper diaſtoles impetus comitatur, nec non inæqualis interdum diaſtoles, ſyſtoleſque reciprocatio, ſi præſertim Scorbutici quidpiam admixtum fuerit. Scorbuticis enim, hiſtericiſque incertus adeo, vaguſque Pulſus eſt, ut qui horum morborum indolem minùs noverit, tum ſæpe hominem morti proximum judicaturus ſit, cum nullum mortis periculum adeſt. Qui his enim, aliiſque id genus, morbis laborant, obſtructo interiùs liquoris alimentitii ultro citroque commeatu, deliquium patiuntur interdum, quod patefacto rurſus remediis appoſitis aditu deſinit. Quamvis contingat interdum, ut incertum hoc Pulsûs ſymptoma conſecuta ſubitò mors medicum fallat: quocirca frequenter, ſæviente morbo, quovis die Pulſus attrectandus eſt: cujus inæquales per intervalla ſubſultus ex nimiâ eorumdem duratione periculo non vacare medicus judicabit: ictericis jam, aquâque

que intercute laborantibus, non abſimili plerumque motu venæ micant, intricato Scilicet, impedito, interruptoque ſæpius ob ſtagnantes variis in corporis vaſis humores: quamvis poſteriorum, quam priorum peior longe conditio ſit. Contrà qui podagrâ laborant, libero omnino, expeditoque *Pulſu* gaudent, niſi ipſa doloris vehementia febrilem, ut fit, paroxyſmum induxerit: in his ſiquidem, qui muſculos aliàs, arteriaſque irretiret humor, ad pedes prolabi videtur: unde forte eſt, Quod Podagrici cæterorum ſenum more vix unquam delirent, ſed ad extremam uſque ſenectutem libera diſcernendi, dijudicandique de rebus facultate potiantur. De peſte affectis inter quos verſatus aliquando ſum, nihil meo quidem judicio certi ſtatui poteſt: quos tamen hac infectos videre mihi licuit, in his eundem fere, quem in Aſthmate laborantibus, hoc eſt mirum in modum oppreſſum ſemper Pulſum animadverti, niſi quando nimius

mius dolor insolitum febris ardorem induxerit: sed ut quæcumque variis in Morbis de Pulsuum variatione observata à me diligentiùs sunt, in pauca contraham: singularium enim casuum infinitus numerus cum sit, eorum omnium enumerationem frustra quis aggrederetur: *Omnis Pulsûs Motus* solito *Citatior, Occultatio, Circulatio, Recessus, Titubatio, Subsultus,* vel *Immutatum jam corporis habitum indicant,* vel eo, *qui mox magis percipiatur, modo, immutandum prædicunt.*

Pars

Pars Posterior

DE

Varietate PULSUS.

SECT. I.

Pulsus æqualis, Pulsus inæqualis.

EX *Pulsûs* variatione, de quâ hactenus, *Pulsuum* varietas nascitur: quotuplici enim modo Pulsus variatur, totuplex omnino assignari Pulsus poterit: ea tamen Pulsuum genera tantum recensebo, quæ frequenti mihi experientiâ distinctiùs observare licuit, quorum

quorum etiam ſigna, quantum ipſo ex eventu aſſequi potui, prognoſtica paucis indicabo: ut igitur à notiſſimâ *Pulsûs* in æqualem, atque inæqualem diviſione initium ducamus, Pulſus omnis inæqualis eſt, & dicitur non is tantùm cujus inæquales ſunt *Micationes*, hoc eſt nunc celeriores, nunc pigriores, ſed cujus pariter in tactum peritum impreſſio nunc debilior, nunc fortior percipitur: utraque inæqualitas à minùs libera ſanguinis, quocumq; demum modo res explicetur, circulatione proficiſcitur: Priorem quidem poſteriore longe minùs periculoſam ſemper comperi: intemperiem enim licet non mediocrem prodat, adeſſe tamen, quibus ſuperetur, vires oſtendit: quapropter quantavis ſit per intervalla micationis velocitas, ac quantacumque ſit ejuſdem per intervalla tarditas, modo interim comitetur æqualitas, nihil eſt quod deſperet medicus, & cum vegetam hinc quamvis oppugnatam validè naturam conjicere poſſit,

possit, animum non despondeat, sed ea audeat intrepidus præscribere, quæ habitâ tamen omnium adjunctorum ratione virtutis Paulò fortioris sint: quoties autem *Micationis* inæqualitas ejusmodi est, ut nunc Pulsus fortiore feriat ictum tactu, nunc languidiore, eoque, qui vix fere percipi possit: Nihil tum, cæteris paribus, tutum puta: luctatur enim cum hoste natura, periculumque est, ne subitò opprimatur: quare omnes ingenii nervos Æsculapii filius contendat ut ea excogitet remedia, quæ paulatim potius, quam uno statim impetu Morbum expugnent: eò enim augustiarum jam ventum est, ut naturæ, nec respirare, nec expirare liberè liceat. Hanc porro *Pulsûs* inæqualitatem, quia etiam ex iis quorum maximè interest, perpauci discernunt, in utramque sæpe aurem stertunt, Dum in omnem rei eventum ipsis invigilandum est, ne æger, præter opinionem medici, ut fit, nec prænonitus animam efflet. Summi itaque momenti

momenti eſt fortiorem inter, ac languidiorem diaſtoles motum diſcernere, ut & ſuo fungatur Medicus officio, & moribundus ſuo, ſi res forte ſuas, negotiaque, necdum compoſuerit: ut enim temerarii, atque ignorantis eſt apparente nullo certiore mortis indicio mortem cuiquam prædicere, ita ignavus omnino eſt, nec nimiùm Chriſtianus qui mortis veroſimiliter proximæ præſcius morientem non admonet periculi: poſterior autem hæc Pulsûs inæqualitas in omnibus fere morbo Chronico laborantibus, aut diuternâ tabe jam pene confectis obſervatur, in febribus frequenter, ac plerumque ipſo ante mortem triduo, quatriduove: Priorem verò in venis *Micationem* omni fere acutiori morbo communem reperies, quæ quanquam præſens periculum nullum arguat, Medico tamen ut negligentiùs ſe gerat, occaſio eſſe non debet. *Pulſus enim inæqualiter pernix, ſæpe in Pulſum* inæqualiter ſenſu prædicto Pulſantem, quem

quem periculoſum diximus, degenerat: memini ſiquidem ab homine jam quadragenario, quem per biennium quartana vexarat, me aliquando eſſe accerſitum, ut meam de eo, in quo tum erat ſtatu, ſententiam exquireret: hominem itaque bono animo eſſe juſſi, licet ex inæquali *Micationis* pernicitate periculum quidem, ſed nondum proximum conjicerem: poſtero autem die regreſſus immutatum jam omnino Pulſum offendi, utpote qui, ubi ſemel fortiore tactum diaſtole feriiſſet, quaſi jam fatigatus, aut fatiſcens penitus, ter continuè, quaterque, debiliter admodùm feriret: quod certum nimis mihi indicium mortis proximæ erat: quæ, tertiò pòſt die, præter omnium opinionem contigit.

SECT. II.

Pulſus continuus, Pulſus interruptus.

QUamvis omnes Pulſuum diviſiones ad diſtinctionem ſuperiùs expoſitam reduci queant, quia tamen ſumma Pulſus inter inæquales varietas exiſtit, hanc ipſam particulatim exponi neceſſe eſt: Pulſus autem continui nomine eum hîc ſubintelligimus cujus ſyſtole, ac diaſtole æqualibus temporum ſpatiis continuè fiunt: quo ſenſu, ſanis æque, ægriſque communis eſt, hoc tantum diſcrimine, quod elatior in his, ſi præſertim febris adfuerit, remiſſior ſit, atque æquabilior in iſtis: ejuſcemodi autem venæ micatio, quâvis facilè, ab humore quovis obvio, obſtructione intercipitur, unde & interceptus, ſeu interruptus dici poterit duplici omnino ſenſu, vel ob minorem ſolito

solito impulsum, vel ob nimis diuturna micationum intervalla: quoties autem priore sensu Pulsus inæqualis fit, imminui sensim, atterique ægrotanti vires certò Scias; hinc itaque pro ratione morbi, & temperamenti majus, minusve periculum pronunciabis: si enim à fame tantum diuturniore *Micatio* forte elanguerit, ab assumpto statim alimento robustior evadit: at quando elatiorem, ut contingit in febribus, Pulsum, humilior exceperit, æquivocum boni Scilicet æque, atque mali omen est: quid igitur reipsâ præsagiat, prudentis medici est ex omnibus adjunctis discernere: jam cum sensu posteriore quædam micationum interruptio fit, periculosæ plenum opus aleæ medico incumbit: vel enim mors in propinquo est, si præsertim virium à prævio morbo attritio præcesserit, vel subitum animi deliquium, paralysis, Apoplexia, Carus, Coma, aliive id genus, morbi imminent: hæc enim *Pulsûs* quasi statio, obstructos

pleroſque Microcoſmi aditus, viaſque ſignificant, quæ ni quantocyus *deobſtruentibus* patefiant, inopinatam ægroto in momenta ſuffocationem minantur: hujuſcemodi, quos Splen divexat, patiuntur ſæpe venæ micationem: in quibus tamen ni febris, Catharrus, aljave quæpiam mala ingruant, periculi fere omnis expers eſt, licet dolorem, animique perturbationem comites interdum habeat. Si autem interruptio non continua, ſed per intervalla tantum, reſtituto ſcilicet identidem ſibi Pulſu contingat, Remediis leniter deobſtruentibus eget æger, quibus capax adhuc luctæ natura roboretur: quoties autem exiguis tantum temporum intervallis micationis interruptio fit, quamvis præſens periculum non adſit, negligentiùs ſe medicus gerere non debet, quod mutatio repentina, quæ remediorum omnium opportunitatem præoccupet, contingere poſſit: quod quidem non temere ſed experientiâ doctus, & conſcientiâ

tiâ tactus dico: evenit enim aliquando ut quispiam meæ commissus curæ, sed leni in speciem morbo laborans præter meam & omnium opinionem spiritum emiserit, cum nullum tamen instantis fati indicium præluxisset: valebat siquidem viribus, omniaque vitæ munia sanorum instar peragebat, nullique, nisi sibipsi, & mihi æger videbatur, quod ex Pulsu exiguis intervallis interrupto subodorabar; quamvis nihil admodùm sinistri inde omnino metuerem; sed venæ motus derepente adeo immutatus est, ut vix decies intra primum horæ minutum vena micaret, ac tandem, extremis etiam, ut tum fit, sed frustra adhibitis remediis, unà cum vitâ micare desierit. Felicius mihi, quia diligentius omnia examinaram, nihilq; neglexeram, Alexandri Hendersonii pii doctiq; Ecclesiæ Anglicanæ sacerdotis curatio fuccessit: is cò debilitatis processerat, ut nec incedere, nec gradus ad cubiculum conscendere posset, intumescentibus interea cruri-

bus, reliquiſque deficientis oppreſſæque naturæ ſignis adeo jam manifeſtis, ut quibus notus erat, curandum minimè ſperarent: quæcumque autem extrinſecùs apparebant, minorem mihi metum, quam ipſa Pulsûs interruptio, creabant: quem tamen, interim metus mei cauſâ, homini quod timidior videretur, diſſimulata, conveniente Diætâ, aptis Catharticis, decoctiſque Armoraciæ, vinoque chalybeato ex peculiari præſcripto meo priſtinæ valetudini ita reſtitui, ut jam ſanus, alacerque, quocumque negotia vocant, etiam pedes ire poſſit.

SECT. III.

Pulſus intenſus, Pulſus remiſſus.

PUlſus intenſus duplici omnino ſenſu dicitur, vel quia arcûs inſtar tenditur, vel quia multiplicatis in momenta

momenta pulsationibus, caloris, reliquarumque qualitatum instar quasi intenditur : utrovis autem modo usurpetur, intemperiem non levem significat : priore enim sensu intensio oritur à nimiâ musculorum, arteriarum, venarumque turgescentiâ : quâ fit ut diastole tactum pressiùs solito afficiat : posteriore sensu à nimia pulsationum multiplicitate, seu frequentiâ exsistit : ut enim multi sibi invicem additi caloris gradus intensum calorem efficiunt, ita supervenientes sibi nullo fere temporis intervallo micationes, seu Pulsationes, quamdam quasi Pulsûs intensionom Gignunt: contraria autem remissio contrariis omnino modis contingit: remittit enim sese Pulsus, cum non adeo tenditur, aut tactui potiùs non adeo obtenditur, vel cum rariores quamvis æque forte validæ, fiunt Pulsationes : de utroque autem Pulsu oppositа omnia pronunciamus : prior enim in sanis sæpe, ægrisque semper in calido febris paroxismo percipitur,

posterior rariùs in vegetis, morboque omni liberis, nisi peculiaris quædam temperamenti adfuerit debilitas, reperitur: prior in sanis ab ingurgitatione, ciboque nimio, posterior à fame, prostratisque jejunio viribus oritur: priorem in ægris gignit turbatior humorum præter morem fermentatio, posteriorem, aut morbi recessus, aut virium nimia ex morbo acutiore attritio: quocirca morbis in acutis Pulsus remissior, intensiore, meo quidem judicio, aliquando periculosior est: quamdiu enim intensio perseverat, vires adhuc supersunt, quarum, & remediorum ope victoriam meritò speres: quando verò prævia ex morbo spirituum consumptione remissior percipitur *Micatio*, metuendum omnino est, ne hæc remissio non recedentis mali, sed deficientis vitæ postrema quasi palpitatio sit: quâ quidem subitâ Pulsûs quasi fatigati remissione insigniter deceptum haud ita pridem quempiam scio: restitutum is optimis remediis

suis

ſuis ægrum ſummis in anguſtiis prope miraculo identidem aſſerebat, qui tamen mox emiſſo ſpiritu, humanâ omni infirmitate liberatus eſt; quod, ut ego quidem ex aſſumptorum medicamentorum, Chymica autem erant, naturâ, conjiciebam, ſuperſtites, quæ perexiguæ erant, vires, ſpiritûſque nimia calidorum ſpirituum doſis extinxiſſet. Cæterum plus vice ſimplice obſervatum à me eſt, eos etiam qui integra fruuntur valetudine Pulſum pati per intervalla æquo mitiorem, vel ob inediam diutius toleratam, vel ob ſpiritus nimio corporis labore conſumptos, vel denique ob conſtantem cogitandi, meditandique ſeria conſuetudinem; quibus, virium, aſſumpto cibo, refocillatione facilè micatio integra reſtituitur. Cæterùm quod ad Pulſum intenſum ab inſolitâ Pulſationum multiplicitate natum attinet; quod & fortiter, & frequenter tactum feriat, maximè turbatum intus, confuſumque humorum motum, atque ipſam

ſam morbi plerumque exacerbationem, ſtatumque indicat, ex quo declinatio brevi, vel in pejus, vel in melius expectanda eſt : quare omnium tum horarum medicus ſit, oportet, hoc eſt omnem tum artem adhibeat, ne quid tanto in diſcrimine aberret, effati ſemper hujus memor peccata omiſſionis leviora eſſe peccatis commiſſionis. Natura enim hoc in caſu aliquamdiu colluctata cum hoſte, innatâ ſibi virtute triumphat; parcè itaque, & cautè medicamenta ægro, hoc in ſtatu, conſtituto præſcribat : eum enim ſanioris judicii homines medicum præſtantiorem reputabunt, non qui magno remediorum apparatu, ſed qui pauciſſimis, iiſque tantum neceſſariis morbum profligarit.

SECT.

SECT. IV.

Pulsus profundus, Pulsus superficialis.

PUlsum superficialem voco, quem non nisi leni contactu, ac quasi superficiali, profundum verò quem pressiore tantum percipimus: prior plerumque reperitur in iis qui ad illud propiùs temperamentum accedunt quod *ad pondus* vulgò dicitur: cum enim liberrimo in his motu sanguis circumferatur, musculique, arteriæ, atque venæ expeditissimè moveantur, extimas validiùs partes arteria ferit: hæc tamen impressio ob summam spirituum à tenuitate pernicitatem ab eo non percipitur, qui fortiore venam contrectatione premit: in hujuscemodi itaque venæ micationem circa jugulum, temporaque faciliùs, quam alibi sentimus: quod qui minùs norunt, pessimi

pessimi ominis loco habent, cum tamen extima hæc,ut ita loquar,ac quasi superficialis venæ micatio eo tantum sensu siniſtri quid portendat,quod constitutam jam in summo gradu valetudinem indicet,è quo quis nisi in ægritudinem deturbari nequit : hujusce modi porro Pulsum in omnibus reperies, quos Galli, *sans soucy* hoc est curis omnibus liberos vocant : de hilari itaque animo, nulloque negotiorum æstu, turbato hinc pronunciare, nec abs re, nec imperitè poteris. Jam *Pulsum ad profundum* quod attinet, & gravia, & præsentia mala, non nisi præsentibus remediis tollenda denotat : in quocumque enim *profundiorem* perceperis *Pulsum*,hunc pronuncia audacter, atque omnis erroris securus, variis tum corporis, tum animi pathematis affligi : huic enim aut *tardante senectâ sanguis habet*, aut obstructis, vario,noxioque humore meatibus, alicubi,præsentissimo Microcosmi periculo stagnat. Quare profundiùs ve-

micat

micat his fere semper, qui aut asthmate laborant, aut caro, Apoplexia, Comate, Lethargo, Hydrope corripiuntur : hos enim morbos, atque, id genus, alios ab impedito, ultro citroque commeatu proficiscí nemo nescit : contingit tamen non rarò profundus iis Pulsus quos nihil horum vexat : sed tum gravis plerumq; ob curas animus, ac quasi ad se reductus est: metus enim in his futuri, contractaque ex præterito tristitia, horum spiritus ; motusque omnes intrò sæpe cogunt, contrahuntque. Senioribus itaque, atque ætate provectioribus *profundiùs* micare solet Pulsus, quam florentibus ætate, aut junioribus. Quoties autem graviori quis morbo corripitur, si præsertim à Melancholiâ originem duxisse is videatur, accuratior *Pulsus* ratio habenda est : profundior enim si fuerit Pulsatio, periculum non leve imminet ob oppressas variâ obstructione vires ; & quamvis febris tum omnis abesse videatur, cave propterea securus obdormias,

mias, aut negligentiùs te circa ægrotum geras: præterquam enim quod interna sæpe febris intus se contineat, subitò sæpe opprimitur æger, aut quadam lymphæ in Thoracem metastasi, aut repentino, præ debilitate, deliquio vivis excedit: quare, Cardiacis, aperientibus, idoneisque, & fortioribus etiam, si videatur, Catharticis extricanda quantocyùs hoc in casu natura est, ne sibi derelicta fatiscat. Nullum autem, ubi hoc symptoma ingruit, efficacius venæ sectione remedium comperi, in iis præsertim, quos florida adhuc ætas beat: quamvis ratum in genere fixumque haberi possit aptis, ægrum, *aperientibus*, aut lenioribus etiam per intervalla Catharticis illico sublevandum, quoties hoc in venæ micatione symptoma eluceſcit.

SECT.

SECT. V.

Pulsus Subsultorius, Tremulus, Erraticus.

PUlsus nullus incertioris Subsultorio ominis: subsilit enim, & quasi Subsultim vicibus interruptis tactum ferit plurimis ex caussis. Venæ si quidem Subsultum gignit interdum violentum corporis exercitium, equitatio puta, cursusque, aut deambulatio citatior, interdum frigus immoderatum, calorque immodicus, sæpe nimia ciborum ingurgitatio, aliquando fames nimia: quæcumque demum extrinsecùs, aut intrinsecùs contingunt, inordinatam hanc Pulsûs micationem inducere possunt: præcipuè tamen ac frequentiùs obstructi in corpore quâcumque ex caussâ humorum commeatus: unde Hystericis sæpe, Splenicis, Ictericis, Hydropicis, Paralyticis ex quacumque

cumque fere in Microcosmo, aut etiam in megalocosmo, mutatione vena turbatior subsilit: quapropter ægrotantis statum omnibus ex adjunctis diligenter medicus perpendat, priusquam ex inordinato venæ Subsultu duræ propheta sortis sit: licet enim mortem aliquot sæpe diebus antecedat, Sæpius tamen non ex virium attritione, sed ex leni, à lympha quapiam, concreto humore, flatuve, obstructione oritur, quam ipsa sæpe natura nullis roborata remediis superat: quare cum nec febris, nec Catharrus, nullusve alius ingruit morbus, in tuto, quantumvis vena subsiliat, omnia sunt, nisi majoris cautelæ gratiâ lene quis Catharticum, deobstruensve quodpiam remedium præscribere voluerit.

De *Pulsu Tremulo* aliter omnino statuendum est: cum enim hic oriatur à fatiscente jam viribus exhaustis naturâ, par prope miraculo curatio futura est: quod idcirco hîc loci addo quia non

nonnullos quibus vena trepidabat, gyrabatque quodammodo priſtinam Scio rediiſſe ad ſanitatem, vel occultarum naturæ virium vi, vel ſpecificorum remediorum virtute. Hoc itaque fere tantum in caſu extrema adhibeat medicus remedia, ac dubia etiam potius quam nulla; periculi interim ægrotantem ſeriò moneat, jubeatque ut ad emigrationem tempeſtivè ſe diſponat: Hoc enim Medici Chriſtiani officium eſt.

Quod jam ad *Erraticum Pulſum* attinet, quid reipsâ ſit ex ipsâ voce ſat eluceſcit: Quoties enim Microcoſmi Machina a diuturniore præſertim morbo diſſolvi incipit; hujus diſſolutionis, præſens, certiſſimumque indicium eſt, erratica, incertaque venæ micatio: Solitis enim tum in locis, aut rarò, aut vix micat; & nunc hîc, nunc illic percipitur, ac diu nuſquam: Paulatim ſiquidem ita Pulſus recedit, ut nullibi niſi forte circa jugu-

lum *Temporaque* tactui quantumvis perito ſeſe offerat: quod cum contingit, paucis plerumque minutis mors abeſt: ſæpe enim id non accidit, niſi voce jam ſublatâ, ſenſuque in extremis præſertim artubus omnino deſinente: quibus in anguſtiis nulla ampliùs medicus remedia niſi fruſtra præſcripſerit, quamvis ſpiritus Cornu cervi, ſalis ammomaci, aut etiam ſanguinis humani, de quo præclarus Illuſtriſſimi *Boylii* tractatus extat, Ita nonnullos aliquando recreaverit, ut ad ſe quaſi reſuſcitati redierint, compoteſque tamdiu permanſerint ſui, donec condito teſtamento hæredibus litium materiam ſubſtraxerint.

FINIS.

Davidis Abercrombii,

M. D.

NOVA

Medicinæ

Tum Practicæ,

Tum Speculativæ

CLAVIS.

SIVE ARS

Explorandi Medicas Plantarum, ac Corporum quorumcumque Facultates ex Solo Sapore.

LONDINI:

Impensis *Samuelis Smith*, ad insigne Principis in Cœmiterio Divi Pauli.

MDCLXXXVII.

Author Lectori.

QUI Philoſophicam ſapidorum corporum naturam propiùs intueri voluerit, ei Author ſum, ut Celeberrimum ubique Philoſophum *R. Boylium* conſulat, ibi maximè, ubi de Mechanicâ diverſarum qualitatum origine, ac ſaporum ſpeciatim, ingenioſiſſimè ſuo more agit: quod enim ad me attinet medici tantum, non Philoſophi hîc mihi partes aſſumpſi, cum de ſapidis, hoc eſt *Acerbo*, *Auſtero*, *Acido*, *Pingui*, *Dulci Salſo*, *Acri*, *Amaro*, ipſoque *In-*

ſipido quod etiam ſapimus, non ut Philoſophus, quod tamen aliquâ ſucceſsûs ſpe tentare mihi forte Licuiſſet, ſed ut medicus ſolummodò diſſerere decreverim. Quam mihi Provinciam eò libentiùs impoſui, quod non novam modò omnino, ni mea me fallit opinio, artem orbi erudito proponam, at cujus etiam objectum, vix ipſis quorum maximè intereſt, aut pauciſſimis certè medicis ſit notum: in quoſdam enim hac ipſa in civitate incidi, qui quid *Acerbum*, aut *Auſterum* foret, vel omnino neſcirent, vel turpiter confunderent quin etiam cum quodam alicujus etiam nominis certamen mihi haud ita pridem non leve fuit,

qui

qui ſapidum omne, aut acre, aut amarum, aut dulce eſſe ſat ineptè contenderet: quare facultati Medicinæ Londinenſi, quæ totâ jam Europâ famam ſibi peperit, pergratum quid facturum me exiſtimavi, ſi quædam publici facerem juris, quæ nonnullis etiam forte ejuſdem ſociis non inutilia, ac ſcitu etiam planè neceſſaria eſſe poſſent: Cæterum ut inſtituti mei rationem faciliùs capias, meminiſſe te oportebit quam multa multi, & quam multis de plantarum & medicamentorum viribus ſcripſerint, majore ſanè Scientiæ ſuæ oſtentatione, quam humani generis emolumento: quis enim plantarum, quarum obvius ubique catalogus,

gus, vel virtutes, vel nomina ipſa memoriæ imprimat omnia? quam operoſi præterea laboris creſcentes in agris, hortiſque herbas, vel de facie, ut aiunt, noſſe, niſi à teneris quis unguiculis cum iiſdem verſatus fuerit: quibus ut incommodis iretur obviam, rationem mecum ipſe inire cœpi. Memor itaque legiſſe me aliquando apud Authorem quemdam antiquum medicam ineſſe brutis animantibus linguam, quâ *pura ab impuris*, *pretiosùm à vili*, *noxia ab innoxiis*, *ſalubria ab inſalubribus* ſecernerent, ſtatui hoc ipſo planè modo comparari poſſe quod ſollicitus quærebam, atque non proprium illud eſſe brutorum privi-

privilegium, ſed & hominibus quoque ſagacioribus eò uſque conceſſum, ut labore aliquo experientiâque frequenti id acquirere poſſent, quod expertia rationis animalia tanquam munus à naturâ acceperunt: imò longè potior mihi videbatur hominum conditio, qui ex diſtinctis rerum ſaporibus diſtinctas earumdem virtutes ratiocinationis, quâ bruta forte carent, beneficio inferre poſſunt: quanquam, quam ipſos artem doceo, ea non rationis, quæ ſæpe fallit, ſed ſenſûs, qui rariſſimè, opus ſit, ejuſque ſenſus, guſtûs inquam qui tenaciſſimas nobis imprimit rerum ſpecies: ſed ne te diutiùs morer, benevole Lector,

artem

artem hîc tibi propono quæ ſit breviſſimum ad medicinam practicam, materiamque medicam ubique adinveniendam compendium: hactenus enim non niſi ſummo labore, vel conſultis authoribus, vel propria ipſe forte experientia medicas paucarum plantarum vires deprehendiſt: hoc jam inſtructus artificio, ubicumq; locorum ſis, quamvis plantarum nomina non noris, de propriis earum affectionibus, ac viribus, ni fueris inſipidi omnino Palati, ex ſolo guſtu pronunciare tutò poteris: quam autem methodum in dicendis infra ſervarim, nunc paucis habe.

Sapidorum primùm corporum,

rum, hoc est *Acerborum*, *Austerorum*, *Acidorum*, *Salsorum*, *acrium*, *Amarorum*, *Pinguium*, *Dulcium*, atque etiam *insipidorum*, cum ea quoque gustu percipiamus, medicas facultates indico, tum quî potissimùm ex gustu unumquodque singillatim sapidum discernere possis, quâ potissimum in re tota hujus artis energia posita videtur, indiciis haud obscuris commonstro: sed ut quâ ipse industriâ, hanc mihi artem compararim, ingenuè tibi, Publicique studio boni aperiam, selegi mihi ex quavis sapidorum specie unum aliquod, & quam maximè potui syncerum: quale est ex *acidis* olus Sylvestre, sive Oxylapathum, ex *Acerbis* mes-

meſpilum, ex *Auſteris*, malum cotoneum, ex dulcibus muſtum dulcibus ex uvis expreſſum, ex *Pinguibus*, *ſeſamum*, ex amaris *cucumerem aſininum*, ex *ſalſis* ſalem, ex *Acribus*, allium, ex *Inſipidis* cucurbitam: quibus omnibus alternatim Palatum tamdiu exercui, ut non ſimplices modò ſingulis in rebus ſapores, ſed & conjunctos quoque ex priorum notitiâ facili negotio diſtinguere poſſem, obſervatis Scilicet attentiùs, quas ſingula ſapida linguæ imprimerent, affectionibus: totum itaque myſterium paucis tibi ſine invidiâ revelavi: utere, & vale, acceptique memor beneficii vive.

At inſcriptionis ratio pene mihi exciderat, quanquam ex ſe ipſa ſatis pateat : Artem igitur hanc , Novam Medicinæ, tùm Speculativæ, tum Practicæ Clavim inſcripſi : Practicæ quidem quod ad eruenda e divite naturæ Penu omnis generis remedia aditum aperiat, Speculativæ verò, quatenus non certe circa Medicinæ ſubjectum, quod corpus humanum eſt, ſed circa objectum ejuſdem ſaltem latiùs ſumptum, Medicas Scilicet rerum Virtutes occupatur tota ; Novam denique dixi, quod nullum ejuſdem apud Authorem ullum, vel leve repererim veſtigium, quanquam

quam de ſaporibus non pauci nec paucis egêre: Plura hic non addam, ut tuo pariter & meo labori parcam, fruere igitur, iterumque vale: Ubi tamen poſtremùm te monuero nullas ſapidis corporibus aſcriptas eſſe à me Virtutes quas præſtantiſſimorum medicorum, ac *Galeni* præſertim ubi de *ſimplicium medicament: facul:* non confirmet Authoritas, cui quotidiana, ut Medici norunt, experientia ſuffragatur.

Nova

NOVA MEDICINÆ

Tum Practicæ,

Tum Speculativæ Clavis.

SIVE ARS

Explorandi medicas Plantarum, ac Corporum quorumcumque Facultates ex solo sapore.

PROP. I.

Medicam, Acerborum *corporum*, *naturam exponere.*

QUæ Medica, *Acerbis* corporibus virtus insit, multiplici dudum experientiâ patuit: cum enim *Acerbum*

omne refrigeret, exſiccetque, vi illud aſtringendi pollere vel maximâ quis inficias eat? Quod tamen ne quis gratis à me dictum putet, meminerit is velim, quæ nativæ, propriæque frigoris dotes fuerint: annon enim frigus & omne frigidum contrahit, condenſat, obvia colligat? Quæ pariter, *Acerbum*, omnia præſtat: frigidum itaque eſt: ubi autem frigiditatem depoſuit, ut in fructibus jam maturis, *Acerbitatem* quoque exuit: ſed & terreæ prorſus, aſperæque indolis eſt: hinc fit ut humorem deglutiat, ac ſiccitatem inducat, nec câ Palatum celeritate, qua acidum, acreve ſolet, penetret: terrenæ ſiquidem quicquid ſubſtantiæ, craſſæ quoque, Spiſſæque eſt; ſuas proinde vires in ſuperficiem potius Organi, quam ipſam in profunditatem exerit, ipſa ſcilicet corpuſculorum craſſitie, ne altius ſubintret, cohibente: frigiditas quoque à profundiore in linguam impreſſione prohibet: Ex dictis, vel me tacente ſat innoteſcit vim

vim quoque repellendi, *Acerbis* ineſſe vel maximam, imò nihil exiſtere fortaſſis in rerum naturâ, quod fortiùs intrò repellat : dum tamen inconſpectos corporis meatus occludunt, ſuam ipſorum virtutem à corpore excludunt : hac autem meatuum occluſione contingit, ut interius ipſa ſeſe intromittere, vireſque ſuas, profundiores in corporis partes exerere nequeant : quare medicis Author ſum, ut ſiquid ex *Acerbis* pharmacis commodi ægris procurare velint, ea acrioribus, ſubtilioribuſque acuant : hæc enim illis viam aperient, atque in intimum corpus quaſi manu ducent : viſcoſæ ſiquidem, tenaciſque naturæ cum ſint, ipſa per ſe nec apertioni, nec ruptioni, nec corroſioni favent : quin contrà his validè reſiſtunt : ut igitur ad remotiores corporis partes penetrent, aditus primùm ſubtiliorum ope patefaciendus : quibus debilis alioquin eorum actio acuatur ſive, ad roborandum, ſive ad diviſa conglutinanda.

Hîc autem loci an, *Acerba*, ſtomacho amica ſint necne, non abs re inquiri poteſt: ex iis enim quæ hactenus diximus, non immeritò quis collegerit debiliori ſtomacho vim ſtipticâ ſuâ, aſtringendique virtute conferre poſſe non mediocrem: obſervatum tamen à te velim, ea tantum, *Acerba*, ventriculo favere, quæ mediæ ſunt ſtipticitatis, temperatæque, qualia ſunt pyra maturitatem plenam aſſecuta, roſæ, atque id genus, ſexcenta: ad hanc autem claſſem cum non exiſtimem, *Acerba* propriè dicta pertinere, ea non niſi concocta tutò interiùs adhiberi queunt: concoctione enim craſſa eorum ſubſtantia tenuior redditur, aptiorque, quæ ulterius in corporis nutrimentum concoquatur.

PROP.

PROP. II.

Acerbum *Gustu explorare.*

TRibus maximè, *Acerbum* omne discernitur, desiccatione, contractione, exasperatione: linguam enim validissimè quasi exsiccat, contrahit, atque exasperat: quod pyrorum sylvestrium, ac cornorum maximè esu experieris: his itaque linguæ affectionibus si te dignoscendis assuefeceris, nullo pene negotio *Acerbitatem*, ab austeritate, aciditate, amarore, salsedine, dulcedine, aliisque si qui adhuc supersint, saporibus distingues. Cuicumque, seu simplici, seu composito corpori saporem hunc inesse, aut prædominari cognoveris, ut facillimè modo mox dicto deprehendere poteris, de virtutibus ejusdem medicis ex priore Propositione, erroris omnis securus pronunciabis: *Acerba autem sunt pyra*

Sylvestria immatura, corna, mespila, acacia, fructus arbuti, ilicis, fagi, &c.

PROP. III.

Medicam, Corporis Austeri, *naturam exponere.*

CORpora quæ *Austera* solo intensionis gradu ab *Acerbis* distant: intensius autem *Acerbum* est; *Austerum* remissius: ac proinde quæ de astringendi facultate Corporibus *Acerbis* insitâ diximus, *Austeris* eadem, servatâ proportione applicabimus: vehemens quidem astringendi vis in illis, in his mediocris tantum reperitur, quod non adeo Glutinantis sint viscosæque indolis: licet autem minimè tenuia, non tamen crassæ adeo, terreæque substantiæ sunt: refrigerant denique, exsiccantque *Acerborum* instar: discrimen, ut dixi, in gradu tantûm situm est: Palato autem longe

longè jucundiora ſunt: neque enim ſine voluptate quadam mala punica, aut cotonea comedimus: *Acerba* verò ſi ſanè conſtituti ſumus, reſpuimus: dixi, ſi ſanè ſumus conſtituti: quibuſcumque ſiquidem perverſa eſt conſtitutio, his interdum gratiſſimus acerborum, acidorumque, uſus: non tamen Auſtera eo ſenſu intelligi velim quaſi grata Palato, quod ſola, ſine aciditate comite, aut jucundâ quavis alia qualitate placeat Auſteritas: id enim quotidianæ experientiæ repugnat: amarities ſiquidem, *Auſteritati*, in aloë & abſynthio aſſociata, illa mero amaro ingratiora reddit: at dulcedo, *Auſteritati* juncta corpus reddit Palato longè gratius eo, quod ſolummodò dulce eſt: ut patet in fructibus nimiùm maturis: ipſa enim *Auſteritas* facit, ut tum amaritudo, tum dulcedo altiùs à lingua imbibantur, diuturnioremque iſthic moram trahant: unde major, vel voluptas, vel faſtidium oritur.

PROP. IV.

Austerum *gustu explorare.*

AUsterum iisdem planè indiciis, quibus *Acerbum*, innotescit: linguam enim exsiccat, contrahit, exasperat: sed longè hæc remissiùs omnia præstat: quicquid igitur ori admoveris a quo lingua deficcata, contracta, atque exasperata, sed leniter fuerit, id erit dubio procul Austerum: cujus facultates medicas mox tibi indicavi: *Austera porro sunt mala cotonea, olivæ, sorba,* &c.

PROP.

PROP. V.

Medicam, Acidorum, *naturam exponere.*

UT, quoties ſpiſſus, *Acerbis* corporibus, humor accidit, Auſterum toties generatur, quod aquea illa, denſaque humiditas Acerbitatem ipſam retundat, ita pariter Aciditas orietur tenui, Acerbum ad corpus, humore accedente: corpuſque, quod acerbum priùs fuerat, jam à ſubtiliore humiditate, *Acidum* evadet: ſic fructus duræ primùm, ac ligneæ quaſi naturæ, acerbi copioſo poſtea humoris affluxu, omnino, ut conſtat experientiâ, aceſcunt: ſed Acidum quoque non humoris tantum ſuperabundantis copia, ſed & ejuſdem corruptio generat: annon enim & lac diutius repoſitum, & vina in cellariis aliquando aceſcunt? ſtatim atque corrumpi, ac mutari incipiunt,

cipiunt, ita ut primus, ad corruptionem gradus, Aciditas esse videatur ? Quod enim terreum, aëreumque, corruptioni non adeo obnoxium est, secus verò quod aqueum, ni coctione ita domitum fuerit, ut in nativum, ac genuinum succum converti possit : quæ idcirco omnia dixi, ut medicam, Acidi, vim indicarem : frigidæ enim esse, tenuisque naturæ, ex dictis satis, superque constat : quem igitur succum, aut plantam gustui merè Acidam ex indicio inferius tradendo deprehenderis, eâdem frigidos omnes affectus in pejus, calidos verò in melius degenerare comperies : quocirca ad temperandos renum ardores, ad minuendam Hypocondriorum caliditatem, ad discutienda erysepelata, aut alias quascumque ejusmodi affectiones, promptius nullum quam quæ vel prædominio, vel merè Acida sunt, ut olus Sylvestre, seu oxylapathum, remedium invenies. Quorum refrigerandi facultatem licet diminuat nonnihil juncta in succis uvæ, rubi, mori,

mori, acrimonia, non tamen tollit, ſed tardiorem tantùm efficit: *Acidorum* autem frigiditas longè diſcrepat ab *Acerbi, Auſterique* frigiditate: hæc enim craſſioribus conſtat corpuſculis, illa tenuioribus: Acida ſiquidem non extimis tantùm partibus ſui ſenſum imprimunt, ſed altiſſimè in ima penetrant: nemo proinde Acidum ſummè frigidum exiſtimarit: quæ enim ejuſmodi ſunt, ut papaveris ſuccus, hyoſcyamus, Mandragora nihil prorſus Aciditatis guſtanti exhibent: ſummam autem Acidorum frigiditatem ipſa partium tenuitas prohibet: at inquies, ſi Acida, ut inſinuavimus frigida ſunt; Acidos ergo ciborum ructus non frigida, ſed calida ſedabunt: docuit tamen ſæpe, docetque quotidie experientia calidorum uſu ejuſmodi ructibus obnoxios pejùs ſe habere, frigidorum verò, ut Oxycrati, alimentorum coctu difficilium, piſcium, carnium, & pedum ſuillorum elixorum ſanari, neque Acidum amplius eructare: huic difficultati

cultati in ſpeciem non levi, ut faciam ſatis; animadverti diligenter oportebit, licet Acidum omne victoriam frigoris interni, in re quæ aceſcit, conſequatur, fieri tamen interdum poſſe, ut calor ipſe Aciditatis, adeoque & frigiditatis ex accidenti cauſſa ſit: quod tum contingit, cum calorem minorem major foras evocat: quâ de cauſsâ vina debiliora æſtivo æſtu aceſcunt, quod nimirum hic calor debilem vini calorem facilè educat: unde cum vinum nativo jam calore deſtituatur, quid mirum ſi jam aceſcat, & putreſcere incipiat: ructus itaque Acidi à frigidis ſæpe reprimi poterunt: Licet enim omnis Aciditas ab interno ſemper frigore fluat, contingit tamen ut à cauſſa calidâ aliquando, *per accidens*, oriatur, cum ſcilicet calore fortiore debilior, rei aceſcentis, calor evocatur: ſi igitur frigidis calorem hunc nimium temperes, eructatio Acida ceſſabit: ſublatâ, enim cauſsâ tollitur effectus: ut autem quibuſdam inſitus à naturâ acor, ut pomis non-

nonnullis, & quibusdam, ut vino acescenti, præter naturam competit, ita nonnulla refrigerare nata sunt, alia ex accidente tantùm, ut, vinum, si acescat: quæcumque tamen Acida sunt, sive secundum, sive præter naturam, incidendi, extenuandi, dividendi, fœctu liberandi, aperiendi, purgandique vi citra calefactionem prædita sunt: imò calorem ipsum extinguunt, corpus detergunt, densant, asperant: acre obtundunt, dulce, insipidumq; exacuunt: sed aliâ non levis momenti virtute pollent: appetentiam scilicet ciborum fastidienti procurant: famelicos enim, Acida pituita, homines reddit, ut dulcis somniculosos, salsaque siticulosos efficit: quod Galenus insinuat cum caninam appetentiam, Acido humori ventriculum infestanti, ascribit.

PROP.

PROP. VI.

Acidum *Guſtu explorare.*

AMarum, acre, ſalſum, *Acidum*que cum linguam rodant, corroſio nota characteriſtica non erit, vi cujus, *Acidum*, ab acri, ſalſo, aut amaro diſcernamus: hanc igitur regulam quæ neminem unquam fallat lectori propono, uſu, experientiâque frequenti familiarem facilè futuram: quod ſine omnis omnino caliditatis ſenſu linguam mordet, corroditve, id merum *Acidum* audacter pronuncia. Quod verò mordet quidem, ſed aliquo cum caliditatis ſenſu, Aciditas in eo dominium obtinebit, eritque temperatius refrigerans, quam *Acidum* merum: *Acidi ſunt fructus immaturi, ſed non Syncerè, olus Sylveſtre,* Acidum merum eſt.

PROP.

PROP. VII.

Medicam, dulcium Corporum, naturam exponere.

DUplici quidpiam ſenſu medicâ pollere vi dici poteſt: altero quidem ſtricto, altero latiore: poſteriore ſenſu omne alimentum, medicamentum erit: præterquam enim quod alimenta morbos præoccupent, debilitati, languorique noſtro medentur; Priore verò, ea tantùm id nominis ſortiuntur, quæ quod alteratum fuerat, reſtaurant, atque priſtino ſtatui reſtituunt: utroque modo dulcia nobis prodeſſe poſſunt: quoniam præcipua nutriendi vis in dulcibus cibis ſita eſt, hos ſagax idcirrco natura, Guſtui gratos, jucundoſque effecit, ut hac velut eſca, & appeterentur avidiùs, & à ventriculo allicerentur, cujus munus eſt viſceribus, & venis ea ſuppeditare,

quæ

quæ convenienti ipsis alimento futura sint: cur autem dulcia maximè nutriant,ac Suavissimè Palatum afficiant, si quis scire velit, is hujus rei rationem ex ipsâ dulcium naturâ repetere poterit: quorum caliditas in substantiâ non admodum crassâ mediocris est: quæ enim nimium frigida, aut summo in gradu calida, aut substantiæ nimium crassæ,vix in substantiam nostram converti possunt: eandem ob causam delectationem pariunt maximam: moderata enim caliditas linguæ meatûs citra violentiam aperit, diuturnioreque in iis mora sensui nostro gratissimè abblanditur: quidquod quamdam omni nutrienti inesse dulcedinem oporteat: hinc summa Acerbitate, Aciditate,amarore,ut fructus recentes, Acetum, Aloë,&c. imbuta, nutriendi facultate carent, quamvis medendi vi plurimùm polleant. Nec pauca è dulcium quoque genere reperies, quæ simul, & alimenta sint, & medicamenta, alimenta quidem,quod deperditam

vi

vi caloris interni ſubſtantiam inſtaurent, reparentque, medicamenta verò quod mutatam in pejus, in melius reducant.

Rerum autem dulcium temperiem ſi propiùs intueri placuerit, ipſam à calore, ut ſuperiùs inſinuabam, proficiſci dulcedinem concludemus: annon enim, exempli gratia, ipſa fructibus dulcedinem maturitas conciliat? Quæ cum à calore oriatur, ab eodem quoque dulcedo omnis ortum ducet: erit autem hic calor, vel rebus dulcibus innatus, ut iis fructibus qui in arbore matureſcunt, vel aſcititius, quo dulceſcunt paulatim decidui fructus. Cæterùm moderatus dulcium calor eſt, noſtroque proinde temperamento quod humidum in mediocri, calidumque eſt, eo nomine conformius: at peculiaris licet dulcibus concoquendi, laxandi, rarefaciendi indita virtus à naturâ ſit, ventriculum enim emolliunt, Thoraci, pulmonique non levi ſubſidio ſunt, emaciatum corpus re-

ſtaurant, fecunditatem, ſemenque tribuunt, tarda tamen, pigraque eſt eorum operatio : Si quid autem iis vitii inſit aperientibus corrigatur, neceſſe eſt. Jecur enim & lienem plerumque obſtruunt, quod ex harum partium tumore à nimio eorum uſu, non ſemel patuit: cujus rei ratio unicuique obvia eſt, quod eorum craſſa ſit ſubſtantia ortâ ſcilicet ab ipsâ concoctione craſſitie, ut omittam ipſas viarum, quas permeant, anguſtias, meſeraicas ſcilicet, venaſque ad jecoris gibbas progreſſas, in quas ſpiſſior ſubſtantia facilè impingit: adde quod cum dulcia naturæ noſtræ mirè congruant, avidius à ventriculo tanquam quid ipſi amicum, gratumque attrahuntur, ac prius ſæpe quam omnino concocta fuerint: unde Jecoris, lieniſque obſtructio oritur: quæ tamen ab iis tantum dulcibus quæ craſſiora ſunt, metuenda eſt, non verò ab iis quæ tenuia magis, ſubtilioraque exiſtunt: dulcia denique quod hic omiſiſſe piaculum fuerit, ventriculus frigi-

frigidior mutat in acorem, calidior verò in bilem, ob magnam partium aërearum, quas continent copiam, quæ facili transmutatione bilis fiunt: ut enim aër in ignem ob mutuam naturarum affinitatem facilè abit, ita pariter quicquid aëreis abundat partibus, aut ignis levi metamorphosi fit, aut igneum, cujusmodi fere bilis est: acria tamen, amara, atque salsa citiùs adhuc *Dulcibus*, quia calidiora in bilem abeunt: de quibus illud tantum hîc loci superaddam, noxiam eorum vim *Acidis*, ut aceto, malis, punicis, sirupo acetoso, cotoneorum succis, aliisque id genus, tutò, ac certò emendari.

PROP. VIII.

Dulcia Gustu explorare.

SApidorum nullum facilius dulci dignoscitur: quicquid enim manifestâ cum voluptate linguam veluti

inungit, illud omne è dulcium esse tribu omnes norunt : *Mustum itaque dulcibus uvis expressum,* atque *ad dimidias coctum, melle, quod acrimoniam* habet sibi *adjunctam, dulcius est : triticum pariter dulce, liquiritia, hordeum,* &c.

PROP. IX.

Medicam, pinguium Corporum, naturam exponere.

QUicquid corpori nostro idoneum alendo est, hoc à Galeno, aut dulce pronunciatur, aut pingue, quod à plerisque licet frigidum existimetur, in eam tamen sententiam adduci nunquam potui : calidum enim, ut humidum haud dubiè est, non modò quia densitate suâ caloris effugio obstat, sed quia à concoctione, quæ à calore existit, generatur : quemadmodum igitur sicca in cineres redacta, nonnullas, ignis in se, particulas

culas adhuc retinent, ſic concocta humida caloris, abſolutâ concoctione nonnihil ſibi reſervant: huc accedit quod reliquis innatet humoribus pingue, acquiſitâ, ſcilicet à reſiduo illo calore, levitate: at inquies quî fieri poteſt, ut pingue non frigidum ſit, ſed calidum, & leve, cum, ut patet, carni ipſi nihil denſitate cedat: jam denſitas frigiditatis notum, certumque indicium ſemper fuit: frigus enim contrahit, conſtipat, ſubſtantiamque ægrè mobilem reddit: ut calor contra liquefacit, diffundit, coquit, rarefacit: hanc quivis objectionem facilè diluerit, qui voluerit animadvertere, coctione omnia cogi, condenſarique: pingue itaque ſi denſum ſit, hanc non ex naturâ ſuâ denſitatem, ſed ex concoctione acquiſivit; unde aërei, & terreſtris quidpiam in ſe continere, & leve, & denſum eſſe poterit: quanquam pinguium quoque quædam, tenuia maximè ſint; ut oleum, quod lucidum eſt, & purum, ac facile ſeſe, intimèque

mèque in corpus noſtrum inſinuat.

An autem pingue dulci calidius ſit, necne, dubitari meritò poteſt, ac inquiri: cui quæſtioni, ut paucis faciam ſatis, annotanda eſt duplex pinguedinis cauſſa, altera, aqueum quoddam à nativo calore elaboratum, altera eſt dulce ipſum à quo, ulteriore concoctione efficitur: pingue itaque à poſteriore cauſsâ natum haud dubiè dulci calidius eſt, frigidius verò câdem erit, quoties à priore generabitur: Cæterum moderata admodum, ac quaſi tepida, pinguium corporum, caliditas eſt, ut, quæ vix primum ultra calefactionis, gradum aſſurgat: quod tamen de mero tantum, ſynceropue pingui intelligendum videtur: quoddam enim, ut hircinum & Taurinum ignеâ vi, ab acrimoniâ abundat: quod propterea ſuppurationi inidoneum eſt: poros ſiquidem ad præcludendum halitibus effugium non obſtruit: à nimium enim detergentibus, aut calefacientibus exſiccatio quidem, at nul-

la

la puris, commotio oritur : hæc enim quoniam obſtructiones tollunt, calori aditum aperiunt. Quæ autem pinguedo, omni caret acrimonia, emplaſtricâ vi pollet : ut adeps ſuillus recens : vetuſtus enim calidior eſt, digeritque : quod de adipe ſuillo, de cerâ quoque elotâ dictum puta : ex quibus omnibus colligere licet pinguia humefacere, emollire, laxare, obſtruere : imbecilliter tamen hæc omnia præſtant, ob tenuem ſcilicet caliditatem : idcirrco autem quod ventris ſluorem procurent, ventriculo noxia eſſe liquet : ſola enim aſtringentia eum defendunt, ac roborant : quæ autem eundem extendunt, laxant, emolliunt, eadem quoque debiliorem reddunt, quibus igitur, aſtrictior alvus eſt, his pinguia proderunt, lientericis verò, aut Cephalicis non levi incommodo erunt.

PROP. X.

Pinguia *quævis gustu explorare.*

EAdem fere ratione Pinguia explorabis, quâ dulcia prius explorare didicisti: quæ enim linguam veluti inungunt, implentque, at absque manifesto voluptatis sensu, hæc omnia, quæcumque demum fuerint, pinguia esse certò noveris: *Pinguis autem exactè saporis sunt & fructus, & succi oleæ caducæ*, ut & omnia, ex quibus oleum conficitur, qualia sunt *sesama, amygdala*, nuces, &c.

PROP.

PROP. XI.

Medicam, Corporum Salſorum, *naturam exponere.*

DE Philoſophicâ, Salſorum Corporum, naturâ hîc agere non ſtatui: ſive enim ſalſedo ex partibus aquæ, quas ſol adurit, & tenuioribus admixtis, ſive ex reſolutione amari, ut vult Avicenna in inſipido aqueo, ſive ex alia quâcumque demum cauſsâ oriatur, ad propoſitum mihi ſcopum parùm refert: nos enim hîc non tam quid ſit corpus, quà ſalſum, quam quid poſſit, inquirimus: ut tamen hoc ipſum intelligamus, ipſius etiam naturam obiter intueri oportebit: ſalſum igitur è terreni, aqueique, conjugio naſcitur: quod ex eo, quo generatur, modo apertè demonſtratur: quoties enim aqueum humorem terrenis, permixtum, particulis, ignis, calorve, externus

nus concoxerit, toties ſapor ſalſus exiſtit: unde duplex ſalſorum virtus, quarum alterâ lavant, detergunt, alterâ roborant, aſtringunt: ab aquâ enim parte prius habent, poſterius à terreſtri: prævalet tamen aſtringens ſalſorum vis, quâ, ab omni corruptione, corpora tuentur, omni ſcilicet humido abſumpto, reſiduoque, ſubſtantiæ ſolidioris aſtrictione, contracto: putreſcit enim id omne, & ſolum, cujus ſubſtantia excrementitio quodam humore diſſoluta dilabitur.

PROP. XII.

Salſa quævis corpora Guſtu explorare.

AQuibus lingua nec contractionem, nec conſtipationem patitur, ſed potiùs quaſi detergitur, abluiturque, hæc omnia ſunt ſalſa: quæ facilè ex ſale ipſo explorabis.

PROP.

PROP. XIII.

Medicam, Amarorum *Corporum*, *naturam exponere.*

AMarum inter, ſalſumque, quamvis affinitas non exigua ſit, cum ambo terreſtria ſint, & calida; conſpicuum tamen diſcrimen intercedit: quod ſcilicet validiore longè calore amarum elaboratum ſit: unde multo ſubtilius ſalſo evadit: quo autem in gradu, *Amari* caliditas conſiſtat, adhuc ſub judice lis eſt: alii in tertio, alii in ſecundo locant: Quod-igitur-cumque Amarum eſt, hoc & calidum quoque erit: id tamen quiſpiam à veritate alienum exiſtimarit, quod Cichoreum ſit Amarum ſimul, & frigidum, ſimiliter, & Roſa, aliaque item non pauca: quæ tamen objectio facile diluitur, ſi dixerimus amara quidem omnia, non minùs quam dulcia, & acria, cali-

calidioris esse naturæ, fieri tamen posse interdum, ut alterius qualitatis, puta frigiditatis prædominio in proprium calefacientium actum erumpere nequeant: hinc

Maximè omnium vermibus amara resistunt, ut experientia pene quotidiana docet, & ratione manifestâ constat: vermes enim in humidis præcipuè corporibus nasci solent; igneæ autem est, siccæque substantiæ *Amarum:* unde si syncerum fuerit, tam inidoneum, cuicumque animali, alimentum futurum est, quam cinis, pulvis, favilla, aut calx: vermium proinde, quorumcumque, ex humido, natorum certissimum excidium est: Medicamentum itaque tantum reputatur, non alimentum; quod merum siccum absque humido non alat, quale amarum omne est, sive oriatur ex dulci excalefacto, ut contingit aliquando, sive ex salso, humiditate, ulteriore elaboratione, absumptâ: *Amarum* itaq; terrestre subtile, non ineptè cum Galeno dixeris,

dixeris, ſi præſertim *Acerbis*, aut *Auſteris* collatum fuerit, at Craſſum terreſtre, ſi comparetur acribus: amarum ſiquidem extimam tantum linguæ partem rodit, acre verò utpote ſubtilius, profundiùs abſtergit: expurgant tamen amara, ſive exteriùs adhibita, ſive interiùs aſſumpta, obviamque, in venis craſſitiem incidunt: peculiari, pariter menſium movendorum, virtute donata ſunt: pituitam ex pectore, pulmoneque potenter educunt: ſanguinem tamen ſpuentibus, quod incidant, dividantque plurimum nocent: ejuſmodi enim, aſtringentibus, tenacibuſque plurimum egent: ut in intimas corporis partes diſtribuantur; tenuiorum pariter, calidorumque conſortium expoſcunt: ut igitur exteriùs adhibita, ulcera mundant impetigines, lentigines, cæteraſque cutis maculas ſtripitus delent, ita interiùs aſſumpta quæ, craſſiora, lentioraque, ſeu viſcoſa, incidunt, atque attenuant: quia autem dulcedini putredinis matri

omnino

omnino contraria ſunt, idcirco putredini adverſantur, corporaque diu à corruptione prohibent: noveris tamen *Amara* quævis ventriculo eſſe noxia, & ſi abſynthium vulgo eidem credatur, & ſit amicum, hoc non ab amaritudine, ſed ab aſtringendi quâ poliet virtute, trahit.

PROP. XIV.

Amarum *Guſtu explorare.*

QUæcumque maxime linguam detergunt, exaſperantque, ac quaſi corrodunt, hæc ſive plantas, ſive corpora quævis alia amarorum familiæ aſcribito: qualem fere linguæ affectionem reperies in *Cucumere aſinino, felleque.*

PROP

PROP. XV.

Medicam, Acrium *Corporum, naturam exponere.*

SApida inter Corpora, nulla acribus calidiora : nihil itaque his, utpote quæ tenuiſſimæ ſint ſubſtantiæ potentiùs, aut incîdit, aut reſolvit: unde linguam urunt, mordentque acria, ut piper, piretrum, Naſturtium, allium, Cepa, aliaque id genus, plurima : quartum enim caliditatis gradum attigerunt : quæ tamen, quod ſorte mirêre, tenera, molliaque viſcera non erodunt, licet duriorem, longe cutem exedant, exulcerentque : cujus rei ratio non alia afferri videtur poſſe, quam quod concoctione Ventriculi plurimùm alterentur, vel quod non uni hæreant affixa parti, ſed quoquoverſum ulteriùs diffluant, vel certè quia plerumque ſuccis aliis igneam acrimo-

niæ

niæ vim retundentibus commixta ſumuntur, vel denique quod velociſſima ſit eorum concoctio, ſeparatioque puri ab impuro, parte unâ, quæ conveniat, aſſimilatâ, parte alterâ, quæ ſupervacanea, & acris fuerit, per alvum, urinas, aut ſudorem, expulsâ: humiditas tamen *Acribus* ſæpe non exigua ineſt, quâ fit, ut & condimenti, & cibi loco nobis eſſe queant: allia enim, cepaſque Comedimus: unde Averroes hac reſpexiſſe non videtur, cum *Acria* dixit, calida eſſe, & ſicca: eorum enim plurima, humiditate quoque abundant, quod ex facili eorumdem corruptione diſcimus: Piper enim longum, zinziber, aliaque id genus, innumera, niſi calore ignis, aut ſolis probè exſiccata fuerint, facilè dilabuntur: Cæterum *Acria*, *Capiti*, oculiſque omnio contraria ſunt, propterea quod, nimio ſuo calore vapores, tum capiti, tum oculis infeſtos attollant: quamlibet itaque epilepſiæ ſpeciem minè promovent: iis quoque, in quibus

bus bilis principatum obtinuit, plurimum obsunt, ut prosunt iis solis, qui succo pituitoso, crasso, lentoque abundant: resolvunt enim, incidunt, aperiunt, siccant, emaciant, medicamentis imbecilliter operantibus stimulos addunt.

PROP. XVI.

Acra *Gustu explorare.*

UT *cida*, ea diximus omnia, quæ linguam dum mordicant, nullum præ se caliditatis sensum eidem imprimunt: ita Acria hæc dicuntur, & sunquæ magno caliditatis sensu eandem mordent. Qualia *Sunt*, *allia*, *cepæ*, *api*, aliaque, id genus, plurima.

PROP. XVII.

Medicam, Insipidorum *Corporum, naturam exponere.*

QUod peculiaris omni expers qualitatis, insipidum corpus hîc voco; sive, quod neque Acerbum, neque Austerum, neque Acum, neque Amarum, neque Acre, ut Salsum: De Insipidis autem, hîc quor, ad Palatum nostrum comparis: quædam enim animalibus bris suavia sunt, ut paleæ equis, quæ n non afficiunt: ut autem insipida o ia aquosa sunt, ita alimentum ſu igidum, aqueum, crassumque minist t; cum igitur humida sit, frigidaq eorum temperies, *Acribus*, *Acidis*, *Acerbis*, aut *Austeris* acui ea oportet si autem Cruda fuerint, præterqu quod ingrata sunt, stomachum p mum gravant, ac pondere quodai velut

pri-

opprimunt, quæ nisi sursum expultrix facultas per os extruserit, paucos intra dies intereunt, qui hæc copiosiùs deglutierint: adde quod flatus moveant, intestina lubrica reddant, obstruant, ac frigore suo condensent: *Acribus* tamen, *Calidisque* juncta, nec aliter, utilia esse possunt.

PROP. XVIII.

Insipidum *Gustu explorare.*

IN quocumque corpore neque *Acerbitatem*, neque *Austeritatem*, neque *Aciditatem*, neque *Amaritudinem*, neque *Acrimoniam*, neque *Dulcedinem*, neque *Salsedinem* deprehenderis, hoc *Insipidum* puta: de genere insipidorum sunt *Terra*, *& aqua*, *Cucumis*, *Cucurbita*, &c.

Ubi itaque quas, commemorata superiùs corpora, affectiones linguæ imprimant, frequenti experientiâ, usuque

didiceris, eaſdem etiam eâdem in re conjunctas facilè diſcernes, ut in uvâ immaturâ Aærbitatem ſimul & Aciditatem, in Aloe vim aſtringendi amarori junctam, in aceto Aciditatem acrimoniæ Sociatam, &c. quod ut faciliùs exequaris, ac linguâ judice *Sapida*, ſaporeſque perfectè diſcernas, para tibi ex ſingulis ſapidis unum quodpiam: ut ex *Acidis*, olus ſylveſtre, ſeu, oxylapathum, ex *Acerbis*, *Meſpilum*, ex *Auſteris* malum cotoneum, ex *Dulcibus*, *Muſtum* e dulcibus uvis expreſſum, ex *Pinguibus*, ſeſamum, ex *Amaris Cucumerem Aſininum*, ex *Salſis*, ſalem, ex *Acribus*, allium, ex *Inſipidis* cucurbitam: Varioſque, hæc omnia ſæpius Guſtando, ſapores ad amuſſim diſtingues, non ſeparatos modo, ſed & conjunctos, non in his ſolum ſed & in omnibus aliis corporibus, ſive ſimplicibus, ſive compoſitis.

FINIS.

BOOKS printed for *Samuel Smith*, at the Princes Arms in St. *Paul's* Church-yard.

Johannes Godaſtini de Inſectis in methodum reductus, cum Notularum additione, per M. Liſter. *Item Appendix ad Hiſt. Animalum Angliæ.* Octavo. *Cum* 21 *Figuris æneis illuſtrata.* 1685.

Experiments and Conſiderations about the Poroſity of Bodies, in two Eſſays, by *R. Boyle* Eſq; *&c. Octavo.* 1684.

Tuta, ac Efficax Luis Venerareæ, ſæpe abſque Mercurio, ac ſemper abſq; Salvatione Mercuriali, Curandæ Methodus. Authore D. Abercromby, M. D. *Octavo.* 1684.

The Philoſophical Tranſactions publiſhed by the *Royal Society* monthly, beginning *Jan.* 1683.

R. Boyl's Memoirs for the Nat. Hiſtory of Humane Bloud, eſpecially the Spirit

Spirit of that Liquor, 1684. Price 2 *s.*

The whole Art of the Stage, &c. translated out of French: in *Quarto*, 1684. Price 5 *s.*

An Enquiry after Happineſs, *&c.* by the Author of Practical Chriſtianity, 1685.

A new Hiſtory of *Ethiopia*, being a full and accurate Deſcription of the Kingdom of *Abeſſinia*, vulgarly, though erroneouſly called the Empire of *Preſter John*, in four Books, (illuſtrated with many Copper-Plates) and alſo a new and exact Map of the Country, and a Preface ſhewing the uſefulneſs of this Hiſtory; with the life of *Gregorius Abba*, &c. By the learned *Job Ludolphus* Counſellour to his Imperial Majeſty and the Dukes of *Saxony*, and Treaſurer to his Highneſs the Elector *Palatine*: in *Fol.* 1684. Price 12 *s.*

The Hiſtory of the Original and Progreſs of Eccleſiaſtical Revenues, by the Learned *P. Simon*, 1685.

Guideon's Fleece, or a Vindication of the

the Colledge of Phyſicians, in anſwer to a Book intituled, *The Conclave of Phyſicians.* By Dr. *Harvey*, in *Quarto*, 1684. Price 6 *d.*

An Anatomical account of an Elephant which was lately diſſected in *Dublin*, *June* 17. in the year 1681. By *A. M.* Med. of *Trinity-Colledge* near *Dublin*, illuſtrated with Cuts, in *Quarto*, 1682. Price 1 *s.*

Swammerdami (*Johan.*) *Amſt.* M. D. *Miraculum Naturæ.* In Octavo.

A Philoſophical Account of the hard Froſt, with what Effects it may probably have upon humane Bodies, as to Health and Sickneſs, in *Quarto.* 2 *d.* ſtitcht.

The true method of curing Conſumptions. By *S. H.* Med. D. 1683. Price 1 *s.*

A Diſcourſe about *Bagnio*'s, and *Mineral Baths*, and of the drinking of *Spaw-water*, with an Account of the Medicinal Vertues of them, and alſo ſhewing the uſefulneſs of Sweating, Rub-

Rubbing and Bathing, and the great benefit many have received from them in various Diſtempers. By *S.H.* Med. Doct. 1683. Price 1 *s.*

Miracles, Works above and contrary to Nature; or an Anſwer to a late Tranſlation out of *Spinoſa's Tractatus Theologico-politicus*, Mr. *Hobbes Leviathan*, &c. in *Quarto*, 1683. Price 1 *s.*

Proteſtancy to be Embraced; or a new and infallible Method to reduce Romaniſts from Popery to Proteſtancy, 1683. Price 1 *s.*

The Ten Pleaſures of Marriage. In *Twelves.*

The *Dutch Rogue*, or *Guſman* of *Amſterdam*, traced from the Cradle to the Gallows, 1683. In *Twelves.*

Dr. *Smith's* Sermon about frequent Communion, 1685.

Fiſh's Sermon on the 29th of *May*, 1684.

FINIS.